



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

76810

797

UC-NRLF





\$B 254 342


GIFT OF
JANE K.SATHER



EX LIBRIS







gsm
gsm

· DE
NONIO MARCELLO
ET
VERRIO FLACCO:

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILIELMA
BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS

DIE II. M. AUG. A. MDCCCLXXX

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

OSCARUS FROEHDE

SILESIUS.

ADVERSARIJ ERUNT:

J. LIPPERT, DRD. PHIL.

M. ROEHRICH, CAND. PHIL.

E. SIEG, CAND. PHIL.

BEROLINI, 1890.

HEINRICH & KEMKE.

(Faint circular stamp)

76810

F92

SATHE


1171

PA6518
N6 F76
1890
MAIN

JOHANNI VAHLENO
ADOLPHO KIRCHHOFFIO

SACRUM

165459



Quamquam Nonii Marcelli *Compendiosa doctrina* et Verrii Flacci *De significatu verborum* liber diverso auctorum ingenio alieno operis consilio magno aetatis spatio separata sunt, ut Gerlachius (Nonius ed. Gerlach-Roth praef. p. XXIII) nullam rationem inter haec duo glossarum corpora intercedere sibi persuaserit, tamen tota de Nonii Marcelli fontibus doctrina a Paulo et Festo profecta est. In hoc enim opere O. Muellerus (praef. Festi p. XVI) ingeniosissime duas uniuscuiusque libri partes esse statuerat: *alteram, in qua praeter primam literam in vocabulis disponendis etiam secunda, saepe etiam tertia et plures observantur: alteram, in qua nulla plane literarum praeter primam habetur ratio, sed rerum in articulis coniunctis quaedam conspicitur affinitas.* Posteriores vel alterae partes cum praeberent glossas deinceps positas Catonianas Plantinas al, similiter in Nonio Schneidewinus (Goett. Gel. Anz. 1843. p. 697) invenit ordines glossarum, quarum exempla primaria spectant ad eundem scriptorem velut ad Varronem Non. p. 167., ad Sisennam p. 57., ad Ciceronem p. 130. Distinguendum autem est in glossis Nonianis exemplum primum, quod post lemmatis explicationem primum locum obtinet, quo solo ordo indicatur, ab exemplis subsecivis, quae exemplum primum subsequuntur. Nonianorum ordinum quaestioni deinde maxime operam dederunt Riesius (Symbola philol. Bonnens. p. 483), Schottmuellerus (ib. p. 809), P. Schmidtus in dissertatione *De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis* et de fontibus hoc potissimum effecerunt Nonium usum esse commentariis scriptorum, quorum extant ordines titulorum, cui sententiae nemo adhuc ne novissimus quidem Nonii editor L. Muellerus (Nonius II. 254) refragatus est. Item Reitzensteinus, qui in libro *Verrianische Forschungen* Verrii fontes magno cum acumine mentis indagavit, alterius partis glossas Plantinas ex commentariis fluxisse

censuit (p. 63). Quoniam igitur similia Nonii et Verrii opera ordinum, de quibus dixi, et fontium communitate quadam cohaerere videntur, necessarium mihi visum est, accuratius Nonium cum Verrio conferre. Qua comparatione non hoc imprimis evincere studui, ut singillatim de origine earum rerum, quae apud hunc et illum conspirant, disseram; satis habui rerum similitudinem quandam ostendere et ea quomodo facta sit in universum declarare. Fructus autem aliquid dissertatione mea redundaturum esse spero in quaestionem, quales fontes adhibuerint Verrius et Nonius, et in ultimum studiorum glossographicorum finem, qui cognoscendo primario quodam glossarum latinarum corpore et fundamento definitur. — Primum de singulis Nonii libris, deinde de glossis Plautinis, denique de glossis Varroianis exponam.

CAPUT I.

DE SINGULIS NONII LIBRIS.

Inter Nonii et Verrii opera haec differentia intercedit, quod Verriani operis libri omnes eandem rationem habent, cum Nonius in undeviginti capitibus de diversis doctrinae suae partibus agat. Attamen amborum comparatione similitudo quaedam rerum tractatarum perspicitur, cum non solum multa lemmata congruant sed etiam formae glossarum, ut appareat quales libri qualis materia quales sententiae ad res grammaticas pertinentes Verrio et Nonio praesto fuerint.

I. Compendiosae doctrinae liber I. inscribitur: *de proprietate sermonum*, quem titulum Schottmuellerus p. 825. falso opinor ita intelligit, quasi agatur de primaria significatione (cf. lib. VI. *de impropriis*) vocabuli, quod alias quoque notiones accepit. Quam ob rem glossas Plautinas contra rationem huius libri pugnare arbitratur, quippe quae ex commentario originem vocabulorum vel etymologiam tractante fluxerint. Sed obstant huic ratiocinationi plurimae glossae velut ordinis Var-

- ronis de re rustica: p. 61. *heredioli* proprietatem indicat V... ,heredem sequerentur'; *legumina* V... dicta existimat... quod legantur; *porcae*; *occationis*; *pomorum*; *lixarum* al.; praeterea
- p. 1. *senium*... dictum a senectute;
- p. 13. (ordo Lucretii) *veterina*... quae vehere quid possunt.
- p. 19. (ordo Pompon.) *truam*... a terendo..
- p. 22. (ordo Lucil.) *capronae*... a capite pronae..
- p. 23. (o. M. Tull.) *procacitas* a procando..
- p. 26. (o. Varron. sat.) *rabulae*... a rabie..
- p. 28. (o. Afran.) *merenda*.... cibus post meridiem.
- p. 30. (o. Virgil.) *dirum*.. quasi deorum ira missum.
- p. 31. (o. Terent.) *sudum*... quasi semiudum.

Pauca haec ex diversis ordinibus selecta vocabula ostendunt primum Nonii librum praecipue in eundem modum compositum esse atque Verrii librum de significato verborum. Qua de causa non mirabimur hunc Nonii librum imprimis conspirare cum Verrio, quem ipsum etyma vocabulorum explicasse O. Muellerus praef. p. XV. testimoniis Gellii 16. 14. 3., Isidori Origgen XIV. 8. 33., Servii ad Bucol. 7. 53. firmavit. Iam singulas glossas ita enumerato, ut eas, quae in etymo aut in explicatione mire congruant, in breviorum formam redactas afferam, parum aut minime cognatas autem solis titulis indicem:

1) Non. p. 1. *senium*.. dictum a senectute... Caecilius in Hephaestione.. Fest. XV. 13. 30. *senium* a senili acerbitate.. Caecilius in Hymide..

- | | |
|--|---------------------|
| 2) Non. p. 3. <i>velitatio</i> . Paul. 158. | } v. i.
cap. II. |
| 3) Non. p. 3. <i>hostimentum</i> . Paul. 76. | |
| 4) Non. 4. <i>capulum</i> . Paul. 47. | |
| 5) Non. 5. <i>temulenta</i> . Fest. XVI. 7. 30. | |
| 6) Non. 6. <i>exercitum</i> . Paul. 60. <i>exercitus</i> . | |
| 7) Non. 7. <i>frigere</i> . Paul. 68. <i>fringilla</i> . | |
| 8) Non. 8. <i>nautea</i> . Fest. IX. 14. | |
| 9) Non. 8. <i>caperare</i> . Paul. 37. <i>caperatum</i> . | |
| 10) Non. 9. <i>examussim</i> . Paul. 60. | |
| 11) Non. 10. <i>bardum</i> . Paul. 28. <i>bardus</i> . | |

12) Non. 13. (Lucret. ordo) *veterina* animalia . . quae vehere quid possunt . . Paul. 159. *veterinam* bestiam iumentum Cato appellavit a vehendo . . . 13) Non. 13. (Lucret. o.) *crepera* res proprie dicitur dubia: unde et crepusculum . . . et senes decrepiti . . . Paul. 40. *creperum* dubium . . . ; 34. *decrepitis* creperam vitam, ut crepusculum . . . cf. Paul. 79. 84. increpitare; 84. increpitato. 14) Non. 14. *vitulantis*. Paul. 159. *vitulans*. 15) Non. 15. (Accii o.) *grummus*. Paul. 72. *grumus*. 16) Non. 16. (Accii o.) *expectorare* est extra pectus eicere . . Paul. 60. *expectorat* ex pectore eicit. 17) Non. 17. *exdorsuare*. Paul. 60. *exdorsua*. v. i. cap. II. 18) Non. 18. (Pompon. o.) *rumen*. Fest. XIII. 7. 28. Cf. Paul. 9. adrumavit. Fest. XIV. 12. 32. subrumari. 19) Non. 18. *nebulones* Fest. IX. 13. 31. *nebulos*. 20) Non. 19. (Pompon. o.) *truam*. Paul. 9. *antroare*. 21) Non. 22. (Lucil. o.) *capronae* dicuntur comae, quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae . . . Paul. 37. *capronae* equorum iubae in frontem devexae, dictae quasi a capite pronae. 22) Non. 22. (Lucil. o.) *gliscit*. Paul. 73. *gliscere*. Cf. Fest. XIII. 15. 30. regliscit. V. i. cap. II. 23) Non. 22. (Lucil. o.) *sagae* mulieres dicuntur . . . unde et sagaces canes . . Fest. XIV. 25. 29. *sagaces* . . . sagacem etiam canem dixit . . . saga quoque dicitur mulier . . Cf. Fest. XII. 23. 8. praesagitio. Paul. 122. praesagire. 24) Non. 23. *lapit*. Paul. 88. *lapit*. 25) Non. 23. (M. Tull. o.) *procacitas* a procando i. e. poscendo dicitur, unde et proci matrimoniorum petitores. Paul. 123. *procare* poscere, unde procaces meretrices . . . et proci uxorem poscentes in matrimonium. Cf. Non. 460. procacitatem. Fest. XII. 17. 1. procum. XIII. 12. 25. reciprocare. Paul. 123. procitant, procitum. 26) Non. 23. *Kalendarum*. Paul. 123. *procalare*. v. i. cap. III. 27) Non. 26. (Varro. o.) *lingulacae*. Paul. 87. *lingulaca*. Non. 50. *lingulacae*. v. i. cap. II. 28) Non. 26. (Varro. o.) *rabulae*. Fest. XIII. 10. 31. *rabula*. Non. 60. (Cic. o.) *rabula*. Cf. Fest. XIII. 19. 10. ravam vocem. Paul. 135. rabidus. 29) Non. 27. *putus* Fest. XI. 2. 16. *putum* v. i. cap. II. 30) Non. 28. (Afran. o.) *merenda* dicitur cibus, post meridiem qui datur . . . Paul. 92.

merendam . . quod scilicet medio die caperetur. Cf. Varro. d. l. l. 6. 4. ‚meridies ab eo quod medius dies’. Non. 60. meridies. 451. meridiem. 31) Non. 30. (Virg. o.) *immune* . . sine munere . . . Paul. 81. *immunis* vacans munere . . . cf. 99. munem. 32) Non. 30. (Virg. o.) *dirum* . . . quasi deorum ira missum . . . Paul 53. *dirus* dei ira natus. 33) Non. 32. *arcantum* . . . quod quae in arcis sunt, celata sunt . . . Paul. 14. *arcani* sermonis . . . sive ab arca, in qua, quae clausa sunt, tuta manent . . . 34) Non. 32. (Terent. o.) *gestire*. Paul. 72. *gestit*. 35) Non. 35. *angina*. Paul. 8. *angor*. v. i. cap. II. 36) Non. 35. (Lucil. o.) *privum* est proprium uniuscuiusque, unde et res privata . . . Non. 159. *priva* significat singula. Paul. 124. *privos* privasque antiqui dicebant pro singulis . . . privata . . . Cf. Fest. X. 21. 21. *privicloes*. Gell. 10. 20. 4. Hertz. *Opusc. Gell.* 101. 105. 37) Non. 35. (ex Gell. 13. 10. 4. Cf. Hertz. 101.) *fratrum* proprietatem Nigidius acutissime dixit. ‚Frater est’ inquit ‚dictus quasi fere alter’. Paul. 68. *frater* . . . vel quod sit fere alter. 38) Non. 37. (Lucil. o.) *portorium*. Fest. XII. 6. 7. 39) Non. 38. *capital*. Paul. 37. v. i. cap. II. 40) Non. 40. (M. Tull. o.) *reserare* aperire; a sera dictum, qua remota valvae patefiunt . . . Fest. XIII. 19. 27. *reserari* . . . quod demota sera a ianuae cardine patefiant fores. 41) Non. 42. (Cic. o.) *occationem*. Fest. IX. 29. 24. *occare*. v. i. cap. III. 42) Non. 42. (Cic. o.) *pecuniosorum* et *locupletium* proprietatem . . . a possessionibus locorum locupletes appellatos . . . Paul. 88. *locupletes* locorum multorum domini. Cf. Nigid. ap. Gell. 10. 5. 43) Non. 43. (Cic. o.) *viritim* dictum est separatim et per singulos viros . . . Paul. 161. *viritim* dicitur dari quod datur per singulos viros . . . 44) Non. 43. *vernas*. Fest. XVI. 23. 1. *vernae*. 45) Non. 43. *concinmare*. Paul. 30. 46) Non. 44. *blatis*. Paul. 28. *blaterare*. 47) Non. 44. *perconctari*. Fest. X. 32. 8. *perconctatio*. 48) Non. 44. *cerriti* et *larvati*. Paul. 42. 88. 49) Non. 48. (Varr. o.) *silicernium* . . . est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur. Varro Meleagris: . . . sili-

v. i.
cap. II.

cernium confecimus i. e. *περίδειπνον*. Fest. XIII. 31. 18. *sili-cernium* dicitur coena funebris, quam Graeci *περίδειπνον* vocant. 50) Non. 48. (Varr. o.) *elixum*. Paul. 57. *elixa*. 51) Non. 49. (Varr. o.) *dierecti* . . . quasi ad diem erecti. Paul. 53. *dierectum* dicebant per antiphrasin volentes significare malum diem. 52) Non. 51. (Gell. o.) *rudentes* ea causa sapientissimi dictos volunt, quod funes, cum vento verberentur, rudere existimentur, atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putant. Fest. XIII. 1. 24. *rudentes* restes nauticae et asini cum voces mittunt. Cf. Hertz. 95. 53) Non. 51. (Gell. o.) *lictoris*. Paul. 86. *lictiores*. Cf. Valg. Ruf. ap. Gell. 12. 3. 54) Non. 52. (Gell. o.) *lues* a rebus solvendis . . . Paul. 89. *lues* est diluens . . . lutum terra humore soluta, et lustratio, qua quid solvitur. Cf. Hertz. 96. 55) Non. 53. (Gell. o.) *bidentes* . . . Nigidius Figulus dicit *bidental* vocari, quod bimae pecudes immolentur. Paul. 27. *bidental* dicebant quoddam templum, quod in eo bidentibus hostiis sacrificaretur. *Bidentes* autem sunt oves . . . Cf. Gell. 16. 6. Hertz. 99. Paul. 5. ambidens. 29. bovem bidentem. 56) Non. 54. (Gell. o.) *faenus*. Paul. 64. 70. *fenus*. Cf. Gell. 16. 12. Hertz. 97. 100. V. i. 57) Non. 54. (Gell. o.) *recepticum*. Fest. XIII. 20. 24. Cf. Gell. 17. 6. Hertz. 97. 58) Non. 55. (Var. o.) *luxum* i. e. vulsum et loco motum . . . luxari . . . luxuria. Paul. 89. *luxa* membra e suis locis mota . . . luxuriosus. 59) Non. 56. (Var. o.) *petauristae* . . . ἀπὸ τοῦ πέτασθαι. Fest. X. 24. 26. *petauristas* . . . Aelius Stilo . . . petaurista proprie graece ideo quod is πρὸς ἀέρα πέταται. V. i. cap. III. 60) Non. 57. (Var. o.) *curiam* a cura . . . Paul. 37. *curia* . . . curas. V. i. cap. III. 61) Non. 58. *adolere*. Paul. 5. *adolescit*. Cf. Non. 247. *adolere*. Fest. XIV. 13. *suboles*. 62) Non. 59. *mansuetum* dictum est quasi manu adsuetum . . . Paul. 98. *mansuetum* ad manum venire suetum . . . 63) Non. 61. (Var. o.) *heredioli*. Paul. 74. *heres*. v. i. cap. III. 64) Non. 61. (Var. o.) *porcae*. Fest. XI. 4. 16. v. i. cap. III. 65) Non. 61. (Var. o.) *occationis*. Fest. IX. 29. 24. *occare*. v. s. no. 40. 66) Non. 62. *calonum*. Paul. 47. *calones*. Cf. Paul. 47. *clava*, 35. *cacula*, 36. *caculatum*, *calones*, Fest. VIII.

28. metalli. 67) Non. 63. *grumae*. Paul. 71. *groma*. 68) Non. 63. *luculentum* . . . dictum a luce. Paul. 89. *luculentus* a luce appellatus. 69) Non. 64. *convicium* dictum est quasi e vicis iocum . . . Paul. 33. *convicium* a vicis . . . 70) Non. 65. (Cic. o.) *Maeniana* ab inventore eorum Maenio dicta sunt . . . Fest. VIII. 16. 22. *Maeniana* appellata sunt a Maenio censore . . . 71) Non. 66. (Cic. o.) *manum* . . . mane . . . Matuta . . . manes . . . immanes . . . Paul. 91. *matrem Matutam* . . . maturum . . . mane . . . manes . . . Cf. Fest. IX. 10. 3. mater Matuta, VIII. 28. 20. manus, IX. 7. 26. manare, Paul. 94. mane. Reitzenst. p. 77. 90. 72) Non. 67. *praefficcae*. Paul. 122. Cf. Non. 145. nenia. v. i. cap. III. 73) Non. 67. *prosapias*. Paul. 124. *prosapia*. Cf. Fest. XIV. 15. 23. supat. 74) Non. 67. *optiones*. Paul. 112. *optio*. Fest. X. 16. 11. v. i. cap. III. — Consilio praetermisi glossas in solo lemme congruentes: 75) Non. 6. *tenus*. Paul. 157. 76) Non. 25. *valgum*. Fest. XVI. 25. 15. *valgos*. 77) Non. 25. *catax*. Paul. 35. 78) Non. 25. *compernes*. Paul. 32. 79) Non. 27. *exodium*. Paul. 60. 80) Non. 31. *sudum*. Fest. XIII. 31. 28. 81) Non. 32. *monimenti*. Paul. 98. *monimentum*. 82) Non. 47. *exporrectum*. Paul. 60. *exporgere*. 83) Non. 49. *trossuli*. Paul. 157.

II. Alterius Nonii libri *de honestis et nove veterum dictis* ratio a Verriana valde abhorret, cum Nonius brevissime honeste vel nove dictum declarat usitato et notissimo vocabulo aut sine ulla explicatione post lemma exempla sua ponat cf. p. 69. adamare, aquilex, 70. anellus, amatio. Inter honesta autem et nove dicta hoc est discrimen: honesta est elegans et decora quaedam antiquioris sermonis vox. cf. Non. 69. *adipatum* pro succulento et opimo, *adstipulari* pro assentiri, 70. *aurigatur* pro moderatur; nove autem dictum est rara et singularis et obsoleta dictio, cf. 71. *autumnitas* pro autumnno, *aritudinem* pro ariditate, 72. *algu* pro algore, 73. *albitudinem* pro albore, cuius generis exempla multa Nonius in caput VIII. *de mutata declinatione* contulit. Quae glossae contra hanc libri alterius rationem pugnant velut Gellianae, indicio sunt

fontis unde fluxerint. Re vera in glossis a proprio huius libri consilio alienis grammaticorum alias observationes esse acceptas comprobo deminutivorum exemplo, quorum formationem Nonius et Verrius saepe ostendunt, ubi necessarium esse non videtur: velut Non. in hoc libro p. 149. *panus* tramae involucrum, quam deminutive *panuclam* vocamus . . Cf. Paul. 119.; in libro III. *de indiscretis generibus*: p. 199. *catellae* diminutivum est catarinarum et dicuntur genere feminino . . ; in libro IV. *de varia significatione*: p. 263. *curriculum* ut consuetudo fert, a curru diminutio est, dicitur brevissimum vehiculi viroti genus . . Cf. Paul. 37. Alia deminutivorum exempla sunt apud Nonium: 153. *paxillus*, 160. *petiolus*, 457. *catuli*, 539. *regilla*; apud Verrium: 21. *arca*, 35. *cana*, 119. *panus*, 23. *audax*, 67. *fides*, 35. *cancri*, 154. *toles*, 37. *curriculum*, 86. *lingula*, *libella*, 94. *matellio*, 48. *corolla*.

III. Tertio in capite Nonius exempla iudiscreti generis collegit, ut primo loco genus regulare saepe exemplis firmatum ponat, deinde singularis generis exempla. Verrium autem ipsum in hanc quaestionem intravisse docent testimonia Prisciani gr. lat. II. 212, Charisii gr. I. I. 101., 106. eiusque auctoritatem in hac re laudat Arnobius adv. gent. I. 59. (O. Mueller. praef. XV.) Itaque non casu factum est, quod plurimae glossae, quae de dubio genere agunt, inter se cohaerent. In glossa enim Paul. 46. *corius* diversi generis haec adduntur vocabula: *lupus* *metus* *amnis* *frons* *cullus*; Paul. 6. *agnus*: *lupus*; Fest. XV. 5. 2. *spicum*: *stirps* *amnis*. Fest. XV. 17. 28. *specus*: *metus* *nepos* (quibus non a Verrio sed a Festo adiunguntur: *stirps* *frons*. Cf. Reitzenst. 106.); Fest. VIII. 32. 24. *malo cruce*: *frons* *stirps* *lupus* *metus*; Fest. XIII. 24. 13. *recto fronte*: *stirps* *nepos* *lupus* *metus* *ovis* *agnus* *porcus*. Reitzensteinii (p. 77) sententia Verrius in altera harum glossarum respexit alteram, quod sine dubio factum est. Nonnulla autem generis diversi exempla iam ante Verrium erant collecta. Primum enim vocabula *cullus* Paul. 46. et *lupus* Paul. 6. 46. Fest. XIII. 24. 13. lemmatis loco non inveniuntur. Deinde Verrius ipse ad exempla Enniana et commentariorum sacrorum

pontificalium provocat: Fest. XIII. 24. 13. *recto fronte* . . . Cato . . . antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque ‚a stirpe supremo’ et ‚Ilia dia nepos’ et ‚lupus feta’ et ‚nulla metus’ Etiam in commentariis sacrorum pontificalium frequenter est hic ovis et haec agnus, haec porcus, quae non ut vitia sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. — Quam consuetudinem a grammaticis observatam esse porro hoc indicatur, quod cum pronomine *hic haec* coniuncti genus vocabuli ostenditur. Cf. Paul. 46. corius, Fest. XV. 5. 2. spicum, VIII. 32. 24. malo cruce.

Quoniam igitur tota haec ars a commentariis videtur profecta esse, non inutile erit videre, quae exempla Verrii et Nonii communia laudentur: 1) Ennium *a stirpe supremo* apud Fest. XIII. 24. 13. *recto fronte* occurrit in versu a Nonio et Verrio adhibito: Non. 226. *stirpem* generis feminini. Virg . . . masculino Ennius Annalium lib. VI: ‚numini Pyrrus, uti memorant, ‚a styrpe supremo. . . .’ Fest. XIV. 18 21 *stirpem* in masculino genere antiqui usurparunt pro eo, quod est femina . . . Ennius Annal.: ‚nomine Pyrrhus, uti memorant, a stirpe supremo’ . . . 2) Ennium *Ilia dia nepos* apud Fest. XIII. 24. 13. *recto fronte* usurpat Non 215. *nepos* dici et femina potest Ennio auctore, quae nunc neptis dicitur: ‚Ilia da nepos, quas erumnas tetulisti?’ cf. Hertz. 117. 123. 3) Non. 222 *specus* genere masculino Varro . . . Feminino Ennius Annalium lib. XVII.: ‚concava sub monti late specus intus patebat . . . Fest. XV. 17. 28. *specus* feminino genere pronuntiabant antiqui ut metus et nepos . . . ut Ennius: ‚tum causa sub monte alte specus inus patebat’ . . . 4) Non. 190. *armenta* genere neutro plerumque. Feminino Ennius: ‚ipsius armentas ad easdem’ . . . Paul. 4. *armentum* . . . Invenies tamen feminine armentas apud Ennium positum. 5) Non. 196 *clunes* feminino Horatius . . . Masculino Plautus Agroico: ‚quasi sim lupus, ab armis valeo, clunes distortos gero’. Paul. 47. *clunes* masculine Plautus: ‚quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos fero’. Cf. Charis. gr. I. I. 101. v. s. v. i. cap. II.

Jam enumerō incerti generis vocabula, de quibus et Nonius et Festus dicunt, sicut Hertzius op. Gel. 126. adn., quae apud Priscianum 5. 42. ex Capri libro de dubiis generibus occurrunt, cum Nonianis comparavit. 1) *amnis*: Non. 191. amnem, Paul. 46. corius, Fest. XV. 5. 2. spicum, Fest. XII. 20. 12. Petronia amnis. 2) *armentum*: Non. 190. armenta, Paul. 4. 3) *clunes*: Non. 196. Paul. 47. 4) *corium*: Non. 199. Paul. 46. corius. 5) *crux*: Non. 195., Fest. VIII. 32. 24. malo cruce. 6) *frons*: Non. 204. frontem, Paul. 68. frontem, Fest. XIII. 24. 13. recto fronte, Paul. 46. corius, Fest. XV. 17. 28. specus, Fest. VIII. 32. 24. malo cruce. 7) *metus*: Non. 214. Paul. 92. Paul. 46. corius, Fest. XV. 17. 28. specus, Fest. VIII. 32. 24. malo cruce, Fest. XIII. 24. 13. recto fronte. 8) *nepos*: Non. 215. Fest. XIII. 24. 13. recto fronte, XV. 17. 28. specus. 9) *ovis*: Non. 216. oves (cf. Hertz. 124.), Paul. 114. ovem, Fest. XIII. 24. 13. recto fronte. 10) *specus*: Non. 222. Fest. XV. 17. 28. 11) *spica*: Non. 225. spicae, Fest. XV. 5. 2. spicum. 12) *stirps*: Non. 226. stirpem, Fest. XIV. 18. 21. stirpem, Fest. XV. 5. 2. spicum, XV. 17. 28. specus, VIII. 32. 24. malo cruce, XIII. 24. 13. recto fronte.

Praeterea dubii generis apud Verrium inveni haec exempla: *agnus*: Paul. 6. Fest. XIII. 24. 13. recto fronte; *contio*: Paul. 45. contionem; *cullus*: Paul. 46. corius; *lupus*: Paul. 6. agnus, 46. corius, Fest. VIII. 32. 24. malo cruce, XIII. 24. 13. recto fronte; *parentem*: Paul. 102. masculino; *porcus*: Fest. XIII. 24. 13. recto fronte — De Nonio liceat hic notare nonnullos articulos videri imperfectos esse, cum soliti tantum generis exemplum extet velut: accubitionem, consitura, culter, curriculum, copulae, palpebrum (cf. 218. palpebrae). Praeterea saepe in uno articulo duo vocabula diversae formationis sunt, quae pro formatione rectum genus habent, velut: auditus auditio, aevum aevitas al.

IV. Transeamus ad quartum Nonii librum, in quo uno sub lemmate variae sermonis significationes collectae sunt, ut

unaquaeque vocabuli vis exemplo comprobetur. Cuius libri glossas si cum Verrianis comparamus, nihil aliud demonstrare volumus nisi hoc: initium huius artis iam ex Verrio cognosci posse. Primum enim a Verrio discimus, quomodo haec disciplina nata sit. Deinde ipse habet glossas, quae varias vocabuli notiones ostendunt.

Ac primum origo huius doctrinae petenda est a dubia etymologia et diversa significatione in his glossis: 1) Paul. 10. *aptus* quum propria significatione intelligatur, poni tamen solet pro adepto, sicut et apisci pro adipisci. Cf. Non. 234. *aptam*. 2) Paul. 17. *anceps* significare videtur id, quod ex utraque parte caput habeat, ut secures bipennes; sed magis a capiendo, quod ex utraque parte aequè captatur, appellatum est. Cf. Non. 245. *anceps*. 3) Fest. IX. 22. 33. *nomen* sive ex Graeco *νόμα* dictum est, sive quasi novimen, quod notitiam faciat... ponitur etiam pro debito . . . Cf. Non. 354. *nomen*. 4) Fest. XV. 30. 1. *tuor* video; *tueor* defendo in usu olim fuit; sed iam promiscue utuntur, et ponitur *tueor* pro video, et *contueor* pro conspicio. Cf. Non. 413. *tueri* = servare, videre. 5) Fest. XIV. 15. 28. *suspectus* est diversae significationis: a *suspicio enim* et *suspicio* partim venit. itaque non mirum, si non una significatio dari potest. Cf. Non. 400. *suspicere* = sussum aspicere, suspectum habere. 6) Paul. 50. *duco* quum pro puto ponimus, ex Graeco deducitur, quod illi dicunt *δοκῶ*. Cf. Non. 282. *duci*. 7) Paul. 67. *fides* genus citharae dicta, quod tantum inter se chordae eius, quantum inter homines fides concordet . . Cf. Non. 313. *fides*. 8) Paul. 89. *lustra* significant lacunas lutas, quae sunt in silvis caprorum cubilia . . . Et quum eiusdem vocabuli prima syllaba producit, significat nunc . . . nunc . . . Cf. Non. 333. *lustra*.

In aliis Verrii glossis antiquioris usus notioni opponitur sententia, in quam postea idem vocabulum abiit: 1) Paul. 55. *degere* antiqui posuerunt pro exspectare. Cf. Non. 278. *degere*. 2) Paul. 59. *explorare* antiquos pro exclamare usos, sed postea prospicere et certum cognoscere coepit significare . . Cf. Non.

294. explorare. 3) Paul. 65. *factio* et *factiosus* initio honesta vocabula erant, unde adhuc *factiones* histrionum et *quadrigariorum* dicuntur. Modo autem nomine *factionis* itio et arma vocantur. Cf. Non. 304. *factio*. 4) Paul. 72. *grassari* antiqui ponebant pro *adulari*. *Grassari* autem dicuntur latrones *vias* obsidentes; *gradi* siquidem ambulare est, unde tractum *grassari*, videlicet ab impetu *gradiendi*. Cf. Non. 315. *grassari*. 5) Paul. 77. *iubere* ponebatur pro *dicere*, quod valet interdum pro *decernere*, ut: ‚*populus iussit*’. Cf. Non. 324. 6) Paul. 93. *merum* antiqui dicebant solum . . . at nunc *merum purum* appellamus. Cf. Non. 344. *merum* = solum, sincerum. 7) Fest. IX. 24. 22. *nobilem* antiqui pro *noto* ponebant . . . Cf. Non. 351. *nobile* (in Accii Diomedis versu ambo congruunt). 8) Fest. X. 16. 23. *orare* antiquos dixisse pro *agere testimonio* sunt et *oratores* . . . Cf. Non. 360. *orare*. Fest. IX. 31. 29. *oratores*. 9) Paul. 143. *supplicia* veteres quaedam *sacrificia* a *supplicando* vocabant. Cf. Fest. XIV. 14. 6 Non. 398. *supplicium*. 10) Fest. XV. 15 3 *signare* nunc iam dicitur *signis* notare ut in *pecoribus* fit. sed antiqui eo pro *scribere* utebantur . . . Cf. Non. 405. *signare*. 11) Paul. 155. *tempestatem* pro *tempore* frequenter dixerunt antiqui. Cf. Non. 407. *tempestatas*.

Porro affero glossas, quae varietatem significationis luculenter illustrent, quarum duas repperi hoc iam initio indicantes: Paul. 33. *conventus* quattuor modis intelligitur . . ., et 63. *forum* sex modis intelligitur . . . Similia sunt, quae Gellius 18. 7. ex libro quodam, quem Verrii fuisse opinatur, excerpserit: ‚*senatum* dici et pro loco et pro hominibus: *civitatem* et pro loco et oppido et pro iure quoque hominum et pro hominum multitudine: *tribus* quoque et *decurias* dici et pro loco et pro iure et pro hominibus: *concionem* autem tria significare; locum et verba suggestumque unde verba fierent; item significare coetum populi adistentis; item orationem ipsam quae ad populum diceretur’. (O. Muell. praef. XVI.) In libro de verb. signif Verrius varias lemmatis notiones particulis: *modo modo*, *nunc nunc*, *alias alias*, *interdum interdum*, *aut aut*: discernere

solet. 1) Paul 19. *agere* modo significat ante se pellere i e. minari. Virgilius . . . Modo significat iurgari, ut dicimus: agit cum eo furti; modo rependere, ut cum dicimus: gratias ago; modo verbis indicare, ut cum dicimus: causam ago; quin etiam si accessit gestus et vultus quidam decor, ut cum scenici agere dicuntur. Cf. Non. 242. 243. 246. agere v. i. 2) Paul. 32. *committere* proprie est insimul mittere; nunc eo utimur et pro facere aut pro relinquere aut pro incipere. Cf. Non. 248. *committere*. — Deinceps posita est glossa: 3) Paul. 32. *condere* proprie est in unum et interiorem locum dare ad custodiam faciliorem; quod verbum nunc significat conscribere, nunc facere, nunc componere et instruere. Cf. Non. 249. *condere* 4) Paul. 65. *facessere* significat interdum facere, ut est: ‚iussa facessunt‘. Interdum vero pro abeat ponitur. Pacuvius: ‚facessite omnes hinc‘ i. e. abite. Cf. Non. 306. *facessere* (ubi idem Pacuvii versus occurrit.) 5) Fest. IX. 24. 19. *nota* alias significat signum, ut in pecoribus tabulis libris litterae singulae aut binae . alias ignominiam. Cf. Paul. 109. *nota* . Non. 354. *nota*. 6) Fest. XIV. 10. 22 *suppreum* modo significat summum . . . alias extremum significat . . . alias pro maximo . . . Cf. Paul. 142. Non. 388. 7) Fest. XV. 3. 28. *scitae* alias, quae sunt bona facie, alias bonis artibus mulieres. Cf. Non. 404. *scitum*. 8) Paul. 42. *censere* nunc significat putare, nunc suadere, nunc discernere. Cf. Non. 267. *censere*. 9) Paul. 85. *legimus* aut scriptum aut oleam glandemve et alia quaedam . . . Cf. Non. 331 *legere* — Alia exempla Verriana sunt: Paul. 81. *initium*, 82. *iuuit*, 62. *erebum*, Fest. IX. 12. 6. *necessarium* (cf. Non. 353. *necessitudo*, *necessitas*). Paul. 63. *forma*, 93. *memorare*.

Denique his adiungo glossas, in quibus simpliciter duae sententiae opponuntur: 1) Paul. 83. *immanis* ferus sive magnus. Cf. Non. 323. *immane*. 2) Fest. XIII 15. 2. *rigidum* et praeter modum frigidum significat et durum. Cf. Non. 380. *rigidum* = *frigidum*, *durum*. 3) Fest. XVI. 4. 11. *tandem* quom significat aliquando, interdum tamen ex supervacuo ponitur . . . Cf. Non. 405. *tandem* 4) Fest XVI. 24. 1. *vastum*

pro magnum . ponitur tamen et pro inani . . . Cf. Non. 415. vastum. 5) Paul. 160. *volae* vestigium medium pedis concavum, sed et *pālma* manus vola dicitur. Cf. Non. 416. vola. — Sequuntur duo exempla binarum glossarum diversam eiusdem vocabuli vim praebentium: 6) Paul. 56. *dextra* auspicia prospera. — Quam glossam sequitur: *dextrarum* tibiaram genus est, quae dextra tenentur. Cf. Non. 290. dextrum. 7) Paul. 120. *parere* obedire. — Deinceps locata est glossa: *paret* significat apparebit. Cf. Non. 375. paret.

Liceat hic inserere observationem, quae de Verrio a Reitzensteinio p. 75. facta spectat eadem ad Nonium, idem vocabulum diversis locis legi, unde colligitur diversos fontes esse usurpatos. Enumero quarti libri articulos dispersos: agere 242. 243. 246., colere 250. 251., capere 249. 252. 254. (bis), quassum 252. quassare 252., comparare 255. 257. 258. 262., componere 256. 257. 260. 264., calumnia 263., calidum 263., contentus 263. 265., delica 277. dedicare 280., dare 278. 281., dignatus 281. 286., elidere 291. 292., evadere 293. 294., expedire 296. 298., excidere 300. 301., iacet 326. iacere 327., locum 338. locus 341., parsum 370. parcere 370., plagae 368. plaga 377., trahere 410. 412.

V. In quinto libro agitur *de differentiis verborum*, quam artem iam Nigidius Figulus in *commentariis* tractaverat. Verrium distinxisse synonyma testes sunt Charisius gram. lat. I. 85. (gibber. gibberosus), 103. (labra. labia), Diomedes gr. I. I. 376. (fatigatus. fessus). (O. Mueller praef. XV.) Primum hic repono septem glossas, quarum sensus plane congruit cum Nonio: 1) Non. 428. *fora* et *fori* ut genere, ita et sensibus distant: nam neutro iudiciorum et litium sedes est, masculino spatia in navibus apertiora vel in gladiatoriiis ludis . . Cf. Non. 447. *fora* et *fori*. Paul. 63. *forum* sex modis intelligitur: Primo . . . Alio in quo iudicia fieri solent . . Quinto locus in navi, sed tum masculini generis est et plurale. Sexto *fori* significant et Circensia spectacula . . . 2) Non. 429.

monstra et *ostenta* similiter intelliguntur, quod imminetia monstrent et ostendant. *omen* . . . *portentum* non solum quod portendat, sed etiam portenta eliciat . . . *prodigium* autem semper pessimum est, dictum quasi porro adigendum . . . Non. 435. *monstra* et *prodigia* et *portenta* hoc distant, quod sunt *monstra ostenta* et *monita* deorum . . . Prodigia deorum minae vel irae . . . Portenta ostenta, quae aliquid imminere significant . . . Fest. VIII. 20. 18. *monstrum*, ut Aelius Stilo interpretatur a monendo dictum est, velut monestrum. Item Sinius Capito, quod monstret futurum et moneat voluntatem deorum . quod etiam *prodigium* velut praedictum . . . et *portentum* quod portendat . . . *ostentum* quod item ab ostendendo dictum est. Cf. XII. 13. 14. portenta. Reitzenst. 47. 3) Non. 438. *noxa* et *noxia* hanc habent diversitatem, quod est *noxa* peccatum leve . Virg . . . *Noxia* nocentia Virg . . . Fest. IX. 23. 32. *noxia*, ut Serv. Sulpicius Rufus ait, damnum significat, apud poetas autem et oratores ponitur pro culpa . at *noxa* peccatum aut pro peccato poenam . . . 4) Non. 441. (Gellii ordo) *festinare* et *properare* veteres voluerunt habere distantiam. Cato oratione, quam de suis virtutibus scripsit: ‚aliud est properare aliud festinare . qui unum quidquid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat’ Verum . . . Fest. XII. 4. 17. *properare* apud Catonem in ea, quae est contra Thermum de suis virtutibus: ‚aliud est properare, aliud festinare . . . is festinat’ . Cf. Gell. 16. 14. 2. Hertz. 116. O. Mueller. praef. XV. 5) Non. 445. *miserari* et *misereri* veteres his sensibus esse voluerunt, ut sit *miserari* flere et lamentari; *misereri* miserationem alienis casibus exhibere . . . Paul. 92. *miseratur* is, qui conqueritur aliena incommoda; *miseretur* is, qui miserum sublevat. 6) Non. 445. *acerosum* et *aceratum* utrumque nove positum, sed distantia proprietate signatum: *acerosum* namque panem, farre minus purgato nec sordibus a candido separatis dicendum veteres putaverunt . . . *aceratum* vero est lutum paleis mixtum . . . Paul . 112. *obacerare* . . . itaque et frumentum et panis non sine paleis

acerosus dicitur, item lutum *aceratum* paleis mixtum. 7) Non. 446. *inlix* et *inlex* hoc discernuntur: ab inliciendo *inlix*; *inlex*, a quo *lex* non servetur. Plaut. . . Paul. 84. *inlex* producta sequenti syllaba significat, qui legi non paret; *inlex* correpta sequenti syllaba significat inductor, ab inliciendo. Plaut. . . v. i. cap. II.

Praeterea aliae sunt glossae Verrianae, in quibus non ambo vocabula Noniana respondent isdem ambobus Verrianis aut discriminis ratio non prorsus eadem est velut: 1) Non. 423. inter *meretricem* et *prostibulum* . . . Paul. 7. *alicariae* meretrices . . . *prostibula*. Paul. 124. *prosedas* meretrices . . . *prostibulae*. 2) Non. 430. *fulmen* et *fulguritum* . . . *fulgur*. Paul. 69. *fulguritum*, 69. *fulmen* (cf. Reitzenst. 46). 3) Non. 431. *superstitionis* et *religionis* . . . *religiosi*. Fest. XIII. 25. 15. *religiosi*. XIII. 25. 32. *religiosum* ac *sacrum* (Reitzenst. 49.), XIII. 16. 10. *religiosus* . . . Gallus Aelius . . . Inter *sacrum* autem et *sanctum* et *religiosum* differentias bellissime refert . . . 4) Non. 442. (ex Gell. 18. 6. 9. Hertz. 116.) *matronae* et *matrisfamilias*. Paul. 94. *matronas*, 94. *materfamiliae*. 5) Non. 445. *omne* atque *totum* . . . *cuncto*. Paul. 39. *cuncti* . . . *omnes*.

Denique apud Verrium unum tantum declaratur vocabulum duorum, quae Nonius lemmatis loco posuit: 1) Non. 427. *mussare* et *murmurare*. Paul. 100. *mussare*. 2) Non. 434. *profesti* et *festi* dies. Fest. XI. 30. 25. *profesti* dies. Fest. XII. 21. 21. *profestum*. 3) Non. 439. *mutuum* a *fenore*. Paul. 70. *fenus*. Cf. Non. 54. *faenus*, Paul. 64. *fenus*. 4) Non. 439. inter *nutare* *adnuere* *nictare*. . . Fest. IX. 25. 7. *nictare*. Paul. 24. *adnictat*. 5) Non. 447. *frumere* et *frendere*. Paul. 68. *frendere*.

VI. Reliqua Nonii capita brevissime ita absolvam, ut enumerem tantum lemmata, quae Nonii et Verrii sunt communia, qua quidem re nihil aliud demonstratur nisi hoc: iam Verrii temporibus grammaticos isdem studiis et artibus operam dedisse quibus Nonium. Prorsus autem omitto capita, quae a Verrii etymologica ratione abhorrent: VII. de contrariis

generibus verborum, VIII. de mutata declinatione, IX. de generibus et casibus, X. de mutatis coniugationibus, XI. de indiscretis adverbis, XVI. de genere vel colore vestimentorum.

Sexti Noniani libri *de impropriis* haec lemmata cum Verrio communia sunt: 1) Non. 448. sulcus. Fest. XIV. 8. 4. sulci. 2) Non. 448. tela. Fest. XVI. 8. 27. Cf. Paul. 3. arma. Reitzenst. 39. adn. 3) Non. 452. torrere. Fest. XV. 29. 11. torreri. 4) Non. 452. squalere. (ex Gell. 2. 6. 4. Hertz. 117.) Fest. XV. 2. 22. squalidum. 5) Non. 454. versuti. Paul. 160. 6) Non. 456. stuprum. Fest. XIV. 21. 21. 7) Non. 458. exubias. Paul. 60. exuviae. 8) Non. 460. pacem peti. Fest. XI. 32. 19. pacem. 9) Non. 460. profundum. Fest. XI. 30. 22. 10) Non. 461. reos. Fest. XIII. 9. 13. reus. 11) Non. 462. monumenta. Paul. 98. monimentum. 12) Non. 464. templum. Paul. 157. 13) Non. 465. insaniam. Paul. 84. insanum.

Duodecimus *de doctorum indagine* liber ratione certa caret. Cuius libri in his glossis eadem fere res atque a Verrio narratur: 1) Non. 518. Picumnus. Fest. X. 25. 32. Picum avem. XII. 15. 14. Picum regem. 2) Non. 520. decuriones. Paul. 54. decuriones, 16. accensi. v. i. cap. III. 3) Non. 521. mira. Paul. 91. miracula. 4) Non. 522. ver sacrum. Paul. 161. Cf. Fest. IX. 7. 32. Mamertini. XIV. 25. 18. Sacrani. 5) Non. 523. sexagenarios. Fest. XV. 7. 16. 6) Non. 525. supervacuum. Fest. XIII. 30. 33. supervacaneum. 7) Non. 529. faetiales. Paul. 68. 8) Non. 532. aere diruti. Paul. 53. dirutum aere.

Consulto Nonius in hoc capite articulos nonnullos de praepositionibus congressisse videtur: p. 522. apud, 523. pro et ante, 528. de pro ab, 529. *praeter* pro ante vel per, 530. (ex Gell. 12. 13. Hertz. 117.) intra, 531. secundum. Quibus cum glossis conferendae sunt Paul. 11. ad, apud, 19. abs, Fest. XI. 30. 4. pro, XI. 30. 11. pro, XIV. 8. 30. superescit . . . super, Paul. 148. sed pro sine, 80. in, 81. in, Fest. IX. 27. 14. ob, X. 17. 5. ob, XII. 17. 33. pone. Item apud utrumque grammaticum coniunctiones et particulae nonnullae reperiuntur: Non. 527. quando, vel, 530. (ex Gell. 10. 29. Hertz. 117.) atque, 530. 532.

negativas duas. — Fest. XII. 30. 19. quoniam, XII. 30. 22. quod, Paul. 159. vel, Fest. IX. 12. 14. *nec* coniunctionem grammatici fere dicunt., Paul. 11. at, Fest. IX. 13. 10. non pridem, XII. 29. 11. quam mox, Fest. XVI. 3. 34. tam, 4. 11. tandem.

Ex libro decimo tertio *de genere navigiorum*, de cuius fontibus (Varro. Sueton.) sicut et insequentium capitum egit Hertzius 144. s., quinque lemmata cum Verrio congruunt: 1) Non. 533. corbita. Paul. 30. corbitae. 2) Non. 534. myoparo. Paul. 100. myoparo. Paul. 121. parones (Reitzenst. 32.) 3) Non. 535. codicarias. Paul. 36. caudicariae. 4) Non. 535. cumba. Paul. 39. cumbam. 5) Non. 536. prosumia. Paul. 124.

Libri decimi quarti *de genere vestimentorum* hi sunt communes tituli cum Verrio: 1) Non. 538. paludamentum. Fest. XII. 21. 2. paludati. 2) Non. 539. regilla. Fest. XIII. 24. 33. regillis (Reitz. 42.). 3) Non. 539. rica. Fest. XIII. 26. 19., XIII. 13. 5. ricae. 4) Non. 540. patagium. Paul. 120. 5) Non. 540. supparum. Fest. XIV. 15. 10. supparus. XV. 15. 17. siparium. 6) Non. 541. laena. Paul. 87. Cf. Hertz. 144. Varro d. l. l. 5. 133. 7) Non. 541. flammeus. Paul. 67., 69. flammeo. (Reitz. 45.) 8) Non. 542. ricinum. Fest. XIII. 12. 32. recinium Varro. d. l. l. 5. 132. 9) Non. 542. tapete. Fest. XV. 26. 5. 10) Non. 542. culcita. Paul. 38. Varro d. l. l. 5. 167. 11) Non. 542. subucula. Fest. XIV. 13. 25. subuculam. (Reitz. 89. adn. 90. 94.)

Libri decimi quinti *de genere vasorum vel poculorum* eadem haec apud Verrium et Nonium occurrunt lemmata: 1) Non. 543. aula, Paul. 20. aulas. 2) Non. 543. patella. Fest. XII. 18. 17. patellae. 3) Non. 544. polybrum. Fest. XII. 15. 2. 4) Non. 544. simpuium. Paul. 149. simpulum. 5) Non. 545. calices. Paul. 36. calix. Varro d. l. l. 5. 127. 6) Non. 545. cymbia. Paul. 39. cymbium. 7) Non. 546. orcas. Fest. IX. 30. 28. orca. 8) Non. 546. nassiterna. Fest. IX. 17. 11. 9) Non. 546. calpar. Paul. 35. 50. 10) Non. 547. armillum. Paul. 2. Cf. Non. 74. 11) Non. 547. lepistae. Paul. 85.

lepista. Varro d. l. l. 5. 123. 12) Non. 547. creterra. Paul. 41. creterrae. Cf. Non. 545. crateras.

Ex capite decimo septimo *de genere ciborum vel pomorum* affero glossas. Non. 550. blitum. Cf. Paul. 28. et Non. 551. murrina. cf. Paul. 100. murrina. Fest. IX. 8. 22. murrata potione.

Caput duodevicesimum *de genere armorum* conspirat cum Verrio his titulis: 1) Non. 552. veles. Paul. 23. advelitatio. 2) Non. 552. rorari. Paul. 134. rorarios. 13. adscripticii. 3) Non. 554. ferentarii. Paul. 64. 70. ferentarii, 13. adscripticii, 158. velati. 4) Non. 553. tragula. Paul. 157. (Reitz. 35.) 5) Non. 553. pugio. Fest. XII. 3. 3. 6) Non. 554. lanceae. Paul. 88. lancea. 7) Non. 554. parma. Fest. XII. 8. 9. parmulis. (Reitz. 38.) 8) Non. 554. verutum. Fest. XVI. 25. 27. veruta pila. 9) Non. 555. peltae. Paul. 116. pelta. 10) Non. 555. falarica. Paul. 66. 11) Non. 555. sparum. Fest. XV. 3. 16. spara. (Reitz. 35.) Non. 223. spari. 12) Non. 556. malleoli. Paul. 97.

Ultimum Nonii caput *de propinquitate* caret exemplis, unde apparet Nonium primum ex grammaticis exscripsisse lemmata et explicationes, deinde ex scriptoribus exempla addidisse. Jam Verrium proprietatis sermones collectos habuisse docet Reitzensteinus p. 27. Aelii Galli exemplo, ad quem fortasse spectant Nonii ultima verba. Communia autem Verrii et Nonii sunt lemmata: Non. 557. glos. Paul. 73., Non. 557. levir. Paul. 85., Non. 557. fratriae. Paul. 67. fratria.

CAPUT II.

DE GLOSSIS PLAUTINIS.

Nonii et Verrii glossas Plautinas ante me Schmidtus p. 41. comparavit sed ita, ut nullam certam rationem adhiberet neque expositionis neque exemplorum neque loci, quem glossae Verrianae obtinent. Tamen ad eam audaciam procedit, ut

Nonium duobus commentariis usum esse statuat, quorum alter ex Verrio alter ex Varrone manaverit. Sciendum est enim in Nonii libro duos occurrere ordines Plantinos, quorum alter versus plurimarum Varronianarum quae dicuntur fabularum continet, alter tres modo: Amphitruonem Asinariam Aululariam. Prior ordo amplectitur glossas ab p. 3. *hostimentum* usque ad p. 13. *suppilare*, posterior glossas p. 43. *vernas* usque ad p. 45. *investes*. Sed cum in libris II—V. tituli per litteras sint ordinati, primum difficile est de unaquaque glossa ex tribus illis comoediis sumpta discernere, utri commentario tribuenda sit. Deinde, quod gravissimum est, in Verrii alterius partis Plautinis glossis diversae partes — fortasse igitur ex diversis fontibus petitae — dignosci possunt, quarum tertia (in littera C quidem) permultas ex aliis atque Varronianis comoediis habet glossas (Reitzenst. p. 60). Et Nonius ipse ex talibus comoediis multa fragmenta servavit, ut neque de Verrio neque de Nonio pro certo quis affirmare possit, quot commentarios usurpaverint. Itaque haec ratio mittenda est. Mihi ea via certissima visa est, quae ab exemplis apud Nonium et Verrium aut apud Nonium solum laudatis proficiscitur.

Sed priusquam ad glossas ipsas comparandas accedimus, necessarium est afferre, quas viri docti de versibus Plautinis eorumque fontibus sententias statuerint. Primum quod ad Verrium attinet, Ritschellius in Parergis I. 149. non dubitat, quin Verrius in versibus excitandis fabulas Varronianas ipsas adierit. Leidolphus quoque (*De Festi et Pauli locis Plautinis* in comment. phil. Jenens. II. 199. Lipsiae 1883) p. 204. Verrium codices ipsos inspexisse ratus est, sed verisimile esse eundem grammaticorum copias non neglexisse, id quod necessario inde efficiatur, quod eidem versus in diversis glossis diversam praebeant recensionem (p. 204—7). Novum Verrii versuum Plautinorum fontem invenit Reitzensteinus p. 63., cui alterius partis glossae Plautinae, cum eodem ordine se excipiant quo in fabulis ipsis, ex commentariis petitae esse videntur. — Videamus de Nonio! Ac primum Schmidtus

p. 34. 47. negans Nonium Plautum ipsum excrispsisse duos libri primi ordines refert ad commentarios duos. v. s. Quam opinionem probaverunt Hennigius (*De Nonii Marcelli locis Plautinis*. Regimont. 1884.) p. 2—3. et Caesar (*De Plauti memoria apud Nonium servata*. Argentor. 1886.) p. 6., nisi quod discrimen inter exempla primaria et subseciva intercedere existimaverunt. Hennigius enim satis mire exempla subseciva ex eodem commentario deprompta esse fingit, ex quo exemplum primarium fluxerit, ut versus Persae in ordinis Plautini glossa p. 10. *ilex* ex commentario Plautino, Asinariae verba in glossa Attiana p. 470. *contempla* ex commentario Attiano originem traherent. Caesar autem exempla quae extra ordines extant quomodo Nonius compilaverit non constare dicit, ut nihil obstet, quominus Nonium ‚vel Plautum ipsum’ ad partes vocasse putemus. Reblinus denique (*De Nonii M. locis Plautinis*. Gryphiswald. 1886.) p. 61. commentarium i. e. interpretationem sine recensione cogitari non posse existimans Nonii testimonia ad vulgatam fabularum formam redire sibi persuasit, sed non ita, ut Nonius hoc exemplari usus sit, qui adhibuerit potius glossarium ‚quod grammaticus quidam glossas vel potius ipsos versus excerpens aliorumque exempla adiciens composuerit’.

His sententiis meam ex insequenti comparatione natam oppono. Primum quod lemmata apud Nonium et Verrium nonnunquam eo ordine se excipiunt, quo in fabulis ipsis sequuntur, inde non necessario colligitur commentarii usos esse grammaticos. Immo multo verisimilius est et Verrium et Nonium lemmata ex ipsis fabulis expiscatos esse. Deinde quod ad explicationem quae lemma sequitur attinet, monendum est diversis ingeniis praeditos fuisse scriptores nostros. Verrius equidem non dubito, quin non solum veterum grammaticorum copias (Leid. 208. adn.) asciverit, sed etiam ipse multa vocabula interpretatus sit. Hoc num de Nonio affirmari possit, adhuc non liquet. Nonnunquam (semper fere in l. II.) explicatio simplicissima est, ut de eius fonte omnino nil erui possit velut in glossis 75. *adaxint*

adigant, 86. *curio* curiosus, 164. *ravis* est raucitas. Tam simplices explicationes si Nonius non ipse dedit videtur mihi certe non ex commentariis quaesivisse, sed fortasse usus est Plauti libris cum glossis marginalibus exstructis vel glossariis. Recte enim mihi iudicavisse videtur Deuerlingius in praef. Placidi p. XV., Placidi si quae explicationes cum Festo conspirent, non ex ipso Verrio vel Festo has sumptas esse, sed utrumque eosdem veteres glossographos adiisse, sive usi sint eisdem exemplaribus poetarum sive singularibus glossarum libellis. Et Nonii quidem cum longiores interpretationes maxime in libro I. *de proprietate sermonum* inveniantur, multae explicationes Verrii et Nonii saepe in sola etymologia coeant, multae non solum ad versus Plautinos sed etiam ad alios poetas quadrent (cum exemplum primum apud Nonium saepe multa aliorum poetarum exempla sequantur, et Festi idem lemma ad alios Plauti vel aliorum scriptorum versus pertineat) mea sententia Nonius non tam commentarios Plautinos praeter ipsum poetam quam grammaticorum studia etymologica in usum suum vertit. Postremo attendendum est glossas nonnullas prorsus carere explicatione velut p. 70. *amatio*. Plautus Rudente . . ., 115. *guttatim* Plautus Mercatore . . ., 171. *sculpurrire* Plautus Aulularia . . . Cf. 97. *deletio* Lucilius . . ., 100. *diritas* M. Tullius, 100. *derississimum* Varro al. Quis est qui hic clamet Nonium consilio commentatoris doctrinam repudiasse? Venio ad versus laudatos. Primum cum in commentariis unum vel nonnulla verba lemmatis loco poni soleant, tamen nusquam totos versus afferri videmus. At Nonius solet totos versus, tota enuntiata (Hennig. 5.) afferre. Versus igitur certe non ex commentariis petivit. Necessario praeterea apud alios grammaticos et antiquarios iidem versus occurrerent, cum non verisimile sit Nonium solum commentariis illis usum esse. Et de Terentio quidem Bartelsius (*De Terentii memoria ap. Non. servata*. Argentor. 1884) p. 20—28. ostendere studuit Nonii versus Terentianos apud alios quoque grammaticos inveniri, qui commentario ut communi fonti debeantur. Sed de Plauto

et aliis poetis praecipue eis, quorum fragmenta ex solo Nonio novimus velut Lucilii, nemo nos tale quid docuit neque docebit. Verrio et Nonio pauci versus Plautini communes sunt. Et iam oritur nova difficultas. Verrius in his non semper eandem atque Nonius praebet recensione[m], quae differentia minime commentariis sed diversis exemplaribus tribuenda est. Denique non veresimile esse mihi videtur Nonii exempla primaria et subseciva diversis fontibus deberi. Sane certo quodam ordine Nonius ex libris exscripsit, qua ratione nati sunt ordines, sed videmus etiam subseciva exempla certo ordine se excipere scilicet eodem, quo ordines ipsi sequuntur.

Aggredimur ad comparationem, ex qua ego glossas parum cognatas exclusi velut: Non. 9. focula. Paul. 64. focus, Non. 79. baiulare. Paul. 29. baiolos, Non. 105. exiurare. Paul. 58. eiuratio, Non. 454. versuti. Paul. 160., Non. 457. catuli. Paul. 35., Non. 539. regilla. Fest. XIII. 24. 33. regillis., Non. 539. rica. Fest. XIII. 26. 19. rica. XIII. 13. 5. ricae. Non. 541. flammeus. Paul. 67. 69. flammeo.

I. Primum eas glossas enumerō, in quibus idem versus legitur: 1) Non. 164. *ravis* est raucitas. Plautus Aulularia: ‚ubi siquid poscam usque at ravim poscam prius’. Idem Cistellaria: ‚expurigabo (codd.: expurgabo) hercle omnia ad raucam ravim!’ Fest. XIII. 11. 29. *ravim* antiqui dicebant pro raucitate. Plautus: ‚ubi siquid poscam, usq. ad ravim poscam prius’. item: ‚experiuravi hercle omnia ad raucam ravim’. et in Artemone . . . Caecilius. Fest. XIII. 19. 10. *ravam* vocem significare ait . . . raucam et parum liquidam, proxime canum latratum sonantem; unde etiam caudicum pugnaciter loquentem rabulam appellabant ut est apud Lucilium . . . nisi a *ravi* potius dictos velimus, ut est apud Plautum qui ait in Aulularia: ‚ubi, siquid poscamus quod ad ravim poscam prius’ et alibi: ‚expurgabo hercle omnia ad raucam ravim’. — Admonendum est explicationem simpliciore[m] esse quam ex qua de communi fonte certi quid disci possit. Versus

Aululariae (Leidolph. 238, Hennig. 21, Reblin. 37) et Cistellariae (Leid. 222.) apud utrumque ad Ambrosianam recensionem redire videntur; certe Aululariae versus ap. Fest. XIII. 11. et Nonium a codd. Palatinorum lectione: ‚poscamus quae adaravim’ recedit. In lemmate Non. 374. *poscere* Aululariae versus ut exemplum subsecivum in eadem forma recurrit atque p. 164. Paene dixerit quis Nonium Verrium exscripsisse, quod quidem minime factum est. Hoc enim tenendum est: apud Nonium exempla primaria ex eadem fabula petita ita ordinata sunt, ut in fabula ipsa sese excipiunt (Schottmuell. 823.). Eandem observationem Reitzensteinus 63. de ordine versuum et fabularum Plauti apud Verrium fecit, unde hic vir doctus colligit has glossas non e glossariis sed e commentariis fluxisse. Si igitur Nonius cum Verrio plane congruit, ex eodem commentario eos hanc glossam sumpsisse necessario sequeretur. Sed nusquam videmus complures glossas, quae inter se apud Verrium aut Nonium fontis communitate coniunctae sunt, apud Nonium aut Verrium coniunctas redire. Quod apud Fest. XIII. 11. 28. exempla Plautina non alphabeticum, quod fere fit (Reitzenst. 108), fabularum ordinem servant, hanc difficultatem Reitzensteinus 109. bene ita dirimit, ut respiciens alteram Festi glossam Plauti Artemonis et Caecilii versus alii fonti deberi contendat. 2) Non. 196. *clunes* feminino Horatius . . . Masculino Plautus Agroico ‚quasi (sim) lupus ab armis valeo, clunes distortos (desertos C.) gero’. Paul. 47. *clunes* masculine Plautus: ‚quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos fero’. — Lemma Nonianum non in ordine Plautino est, cum Pauli glossa in altera litterae C parte stet, et hic quidem in tertia vocabulorum Plautinorum parte. (Reitzenst. 64.) Glossae de dubio genere agunt (v. s. cap. I) et ex opere grammatico profectae sunt (cf. Charis. gram. lat. I. 101.) minime autem ex commentario, quoniam versus diversam recensionem praebent: Non. ‚desertos gero’, Paul. ‚infractos fero’. 3) Non. 177. *sublestum* est leve, frivolum. Plautus: ‚nam ubi ad paupertatem accessit (iam) infamia, Paupertas gravior fit,

fides sublestior'. Fest. XIII. 31. 33. *sublesta* antiqui dicebant infirma et tenuia. Plautus in Persa: ,ad paupertatem si immigrant infamiae, gravior paupertas fit, fides sublestior', id est infirmior. Idem in Nervolaria vinum ait ,sublestissimum' quia infirmos facit vel corpore vel animo. — Neque Nonii neque Verrii glossa in ordine Plautino legitur. Quod apud Festum Nervolariae versus sequitur Persam, Reitzensteinus 109. ob eam causam factum vult, quia hic diversi comparationis gradus exemplis comprobentur. Ceterum expositionis verba non ad verbum congruunt (cf. Löwe. Prodrum. 264.) et versus citatus apud hunc et illum differt: Non. ,accessit', Fest. ,immigrant', A. et Pal. ,admigrant' (Leidolph. 223.) 4) Non. 145. *nepam* quidam cancerum putant ad illud Plauti ,retrovorsum . . . cedam, imitabor nepam'. Et illud aliud: ,aut cum nepa . . . est.' sed dubium in utroque. nam vere nepa scorpius dicitur. M. Tullius . . . Fest. IX. 14. 23. *nepa* Afrorum lingua sidus, quod dicitur a nostris cancer, vel ut quidam scorpios. Plautus in Casina: ,recessim dabo me ad parietem, imitabor nepam'. — Nonii lemma non inter alia Plautina legitur, Festi in priore parte. Ambo eandem duplicem afferunt notionem. At Casinae versus sine dubio duplicem recensionem videmus, cum Nonius praebeat ,retrovorsum cedam', Verrius: ,recessim dabo me', Pal. ,recessim cedam'. Cf. Leid. 232. 5) Non. 3. *velitatio* dicitur levis contentio, dicta ex congressione velitum. Plautus Asinaria: ,verbis velitationem fieri compendi volo'. Idem Menaechmis: ,nescio quid vos velitati estis inter vos duo'. Turpilius . . . Paul. 158. *velitatio* dicta est ultro citroque probrorum obiectatio, ab exemplo velitaris pugnae. Plautus: ,nescio quid velitati estis inter vos'. Cf. Paul. 24. *avelitatio*. Reitz. 62. — Concinnant Nonius et Paulus in etymologia et in versu Menaechorum, sed attendendum est Nonii lemma et verba ,levis contentio' spectare ad Asinariam, Verrii autem explicationem in Men. vers. 778., qui a Paulo in brevius redactus est. Cf. Leidol. 245. Reblin. 53. 6) Non. 5 *temulenta* dicta est ebriosa, dicta a temeto, quod est vinum quod attemtet. Plautus Aulu-

laria: ‚quia temeti nil adlatum intellego‘. Idem Truculento . . . M. Tullius . . . (exempla temeti afferuntur). Fest. XVI. 7. 30. *temetum* vinum. Plautus in Aulularia: ‚Cererin‘, Strobile, has facturi nuptias? qui? quia temeti nihil ad latum video‘. Pomponius (temeti): Novius (temeti temulentum temulentas) Afranius (temulentae). — Festi glossa prioris partis est. Communis versus Aul. 2. 2. 6. apud Nonium habet Palatinorum lectionem ‚allatum intellego‘, apud Fest. ‚video‘. Cf. Leidol. 247. s. Hennig. 31. Ex explicatione temeti nil effici potest. 7) Non. 8. *nautea* est aqua de coriis vel, quod est verius, aqua de sentina dicta a navigiis. Plautus Curculione: ‚nam omnium unguentum odor prae tuo nautea est‘. Idem Asinaria: ‚nauteam bibere malim, si necesse sit, quam illam oscularier‘. Fest. IX. 14. 27. *nauteam* ait Opilius Aurelius herbae genus esse granis nigris, qua coriari utuntur, cuius videri a nave ductum nomen, quia nauseam facit . . . Plautus in Artemone . . . Idem Curculione: ‚nam odor unguentum omnium prae tuo nautea est‘. In Casina . . . Labeo . . . ait, nauteam rubidum quiddam esse, quo pontificum vestimenta quaedam colorant. — Auctorem sententiae communis Verrius provocat ad Aurelium Opilium, quem Ritschelius Parerg. I. 365. non pro Plauti commentatore sed pro glossographo habet (cf. Schmidt. 42. Leidol. 208. adn.). Quamquam ordo verborum in Curculionis versu corruptus est, tamen Festus cum Nonio facit in vera lectione ‚nautea‘ contra Pal. ‚nausea‘. Cf. Leidol. 239. Caesar. 53. Reblin. 50. Loewe. 284. s.

Has septem glossas si respicimus, explicationis similitudo, quae de communi fonte cogitare nos cogat, apparet ex glossis *clunes nepam nautea*. Atque clunes et nautea nobis certe non ex commentario Plautino petitae esse visae sunt. Versus autem eiusdem recensiois speciem praebere videntur laudati in glossa *ravis*, minime autem in glossis *clunes sublestum nepam temulenta*. Non satis certe de *velitatio* et *nautea* constat.

II. Hi sunt versus Plautini Verrii et Nonii communes, reliquis in glossis Festus aut caret exemplo aut uti-

tur diverso. Primum videamus de quinque glossis, quae apud Festum et Paulum in altera parte extant, quarum tres ad eundem versum, quem Nonius affert, spectare certis argumentis demonstrari potest. 1) Non. 86. *curio* curiosus. Plautus Aulularia: ‚volo scire ego ex te, qui sit agnus curio’. Paul. 46. *curionem* agnum Plautus pro macro posuit quasi cura macruisset. — Incipit apud Paulum ab hoc lemmate ordo Plautinus, quod sequitur aliud ex Amphitruone. Cf. Reitzenst. 58. 63. Legitur hoc vocabulum in Aul. 554. s. bis, sed Palatini in priore versu pro ‚curionem’ praebent ‚curiosam’. Leidol. 258. Hennig. 34. Reblin. 23. 25. Caesar. 68. Explicatio vero Nonii et Pauli diversa est. 2) Non. 4. *capulum* dicitur quicquid aliam rem intra se capit. nam sarcophagum, id est sepulchrum, capulum dici veteres volunt, quod corpora capiat. Plautus Asinaria dicens de sene: ‚perii, misera! ut osculatur carnifex, capuli decus’. idem Milite: ‚quid ais tu? tam tibi ego videor oppido Acheruntius? tam capularis? id est capulo proximus. Pomponius . . . Paul. 47. *capulum* et manubrium gladii vocatur, et id, quo mortui efferuntur, utrumque a capiendo dictum. Sane a capio fit capularis. — Pauli glossa propter capularis ad Mil. gl. v. 3. l. 33. spectat, cum *comoedice* ex Mil. 2. 2. 60. antecedit (Reitzenst. 59. 63.). Nonii autem glossa ex primo ordine Plautino Asinariae potissimum versum in explicatione respicit. Quod ambo capulum et capularis a capiendo trahunt, communis fontis etymologici signum est. 3) Non. 75. *adaxint* adigant. Plautus Aulularia: ‚utinam me divi adaxint ad suspendium’. Paul. 23. *adaxint* adegerint. — Apud Paulum etiam insequens glossa ex Aulularia est, ut de nostra dubitari non possit, quin Aul. 1. 1. 11. respiciat. (Reitzenst. 61. 64.) Sed ex interpretatione tam simplici nil sequitur. 4) Non. 70. *amatio*. Plautus Rudente: ‚nimi’ paene inepta atque odiosa eius amatiost’. Paul. 23. *amatio* ab amore denominatum. — Hoc vocabulum quamquam quinques apud Plautum occurrit, tamen ex Rudentis v 1204. propter Nonium sumptum esse censet Reitzensteinus p. 65. Explicatione Nonius caret, cuius glossa extra ordinem Plau-

tinum est. 5) Non. 127. *insanum* pro insane, ut immane pro immaniter. Plautus Nervolaria: ‚insanum uterque deamat’. Sallustius . . . [nomen positum pro adverbio]. Paul. 84. *insanum* pro valde magnum usus est Plautus. — Nonius de nomine pro adverbio dicit. Pauli explicatio mihi in Bach. 4. 5. 1. ‚insanum magnum molior negotium’ quadrare videtur.

III. Pergamus ad viginti glossas, quae apud Festum in priore parte locatae sunt, de quibus nonnullae sine dubio Plautinae sunt, nonnullae propter Nonium tales haberi possunt, nonnullae certe non sunt. Incipio a quinque glossis, quae ad eundem atque Nonii versum necessario referendae sunt. 1) Inter primum et alterum ordinem Plautinum apud Nonium in medio ordine verborum ex Pomponio petitorum invenitur: Non. 17. *exdorsuare* dorso nudare. Plautus Aulularia: ‚tu Machaerio, congrum, murenam exdorsua quantum potest’. Paul. 60. *exdorsua* dorsum confringe, alii exime. — Exdorsua legitur tantum in Aul. 2. 9. 2. Congruunt autem Paulus et Nonius (hic et p. 95. *desquamat*) in scriptura ‚exdorsua’, cum recensio Pal. exhibeat: ‚congrum muraenam exossata fac sient’. Cf. Leidol. 240. s. Reblin. 43. Caesar. 10. 51. Buecheler. Mus. Rhenan. 35. 404. 2) Non. 50. *lingulacae* locutuleiae a procacitate linguae et loquendi proprietatem trahunt. Plautus in Casina: ‚lingulaca est, nam nunquam tacet’. Paul. 87. *lingulaca* genus piscis vel argutatrix mulier. — Nonius idem lemma duobus locis praebet, p. 26. in ordine Varronis et p. 50. inter varia lemmata. Pauli glossa referenda est ad Cas. 2. 8. 61. et 62., ubi hoc vocabulum duabus notionibus explicatis occurrit. Cf. Varro. d. l. l. 5. 77. Leidol. 245. 3) Non. 103. *expapillato brachio* quasi usque ad papillam renudato. Plautus Milite glorioso: ‚id, conexum in umero laevo, ecpapillato brachio’. Paul. 59. *expapillato brachio* exerto, quod cum fit, papilla nudatur. — Versus idem intelligendus est, cum hoc solo loco ‚expapillato’ legatur. Recensio versus eadem est et etymo allato firmatur. Apud Festum

autem aliam quoque huius versus scripturam occurrere in glossa p. 62. *effafilatum* Reitzensteinus 40. adn. recte statuit. Libri Palatini habent ‚exfaillato‘, Ambrosianus ut videtur neutram sed tertiam lectionem. Hic commentarii vestigium deprehendisse quis existimet. Sed ipsa duplici Verrii scriptura docemur eum codicibus variis non commentariis usum esse. Cf. Leidol. 206. 211. 213. Hennig. 15.s. Reblin. 34. Caesar. 26. Loewe. 269.s. 4) Non. 120. *halophantam* ut sycophantam hominum genus nequam, quod ob suenda mendacia miserrima mercede conducitur. Plautus: ‚halophantam an sycophantam magis dicam esse‘. Paul. 76. *halapanta* significat omnia mentientem, ab eo, quod halet omnia. ἄλην enim Graeci τὴν πλάνην, id est fallentem, appellant. — Paulus eiusdem versus vocabulum, quod in hoc solo apparet, explicat, sed alium auctorem sequitur quam Nonius, cuius interpretatio propius ad laudata verba accedit. Scriptura versus diversa esse videtur; rec. Pal. habet: ‚Kalophant^am‘. Cf. Leidol. 233. Hennig. 19.s. Reblin. 55. 5) Non. 147. *oculitus* ut animitus medullitus. Plautus Cornicula: ‚amant ancillam meam Phedullium oculitus‘. Fest. IX. 27. 29. *oculitus* dicitur ut funditus penitus significatque tam carum quam oculum vel instar oculi esse. — Apud Nonium oculitus inter alia adverbia (obsecundanter ossiculatim) stat, apud Festum praecedit oculissimum exemplis Plautinis probatum. Ambae glossae alia sed non eadem adverbia suffixo -tus formata continentes non commentarium Plautinum redolent. Festinam quoque ‚oculitus amari‘ intelligere O. Muellerus vidit. Oculitus autem nusquam reperitur nisi in hoc Plauti fragmento.

Sequuntur Verrii prioris partis glossae, quae ad quem versum spectent nescimus. Ac primum prioris ordinis Plautini in libro I. Noniano glossis similes sunt quinque. 6) Non. 3. *hostimentum* est aequamentum. unde et hostes dicti sunt, qui ex aequa causa pugnam ineunt. Plautus in Asinaria: ‚par pari datum hostimentumst: opera pro pecunia‘. unde et hostire dicitur. idem in eadem: ‚quin promitto, inquam, hostire contra, ut memineris‘ id est aequa reddere.

Paul. 76. *hostimentum* beneficii pensatio. — Hostimenti vocabulum cum apud Plautum uno loco, sed apud alios quoque poetas occurrat. dubium est, ad quem spectet Pauli glossa, praesertim cum explicatio Verrii simplicissima sit (cf. Loewe. Prodrum. 258.). Quae Muelleri sententia spectat ad Accii versum ex Athamante a Nonio 315. *grave* servatum, Reitzensteinii 36. ad Ennii versum apud Fest. XIII. 8. 21. *redhostire*, fortasse autem Plantina est. At cum Nonius de hostibus et hostiando quoque faciat verba sine dubio secutus grammaticum — sed vereor ne Plauti commentatore, cum de aliis quoque poetis agatur, non sit usus — utile est glossas arcessere, quas Reitzensteinii 39. adn. cum Pauli glossa cognatas confert: a) Fest. XIV. 20. 12. *status dies* cum hoste vocatur, qui iudici causa est constitutus cum peregrino. eius enim generis ab antiquis hostes appellabantur . . . atque hostire ponebatur pro aequare. Plautus in Curc.: ‚si status condictus cum hoste intercedit dies . . .’ b) Fest. XIII. 8. 21. *redhostire* . . . Nam et hostire pro aequare posuerunt. Ennius . . . Pacuvius Teucro: ‚nisi coerceo protervitates atque hostio ferociam’. c) Paul. 76. *hostis* apud antiquos peregrinus dicebatur . . . Denique affero: Non. 121. *hostire* est comprimere, recedere dictum ab hostia. Pacuvius Teucro: ‚nisi coercoero protervitatem atque hostio ferociam . . .’ Paul. 76. *hostia* dicta est ab eo, quod est hostire ferire. — Quarum glossarum fontes accurate perspicere difficile est, praesertim si auctores alias simul glossas in animo habere videntur ex aliis fontibus haustas: velut Verrius in glossa *status dies*, quae mihi Plantina videtur esse, in vocabulo peregrino respicit ad glossam Paul. 76. *hostis*, quae ipsa ex Varrone d l. 1. 5. 3. manavit; praeterea rationem habet vocabuli hostire, quod Fest XIII. 8. 21. *redhostire* exemplis Ennii et Pacuvii firmatur. Ex Pacuviano autem Teucro versus recurrit apud Non. 121 *hostire*. Eodem loco hostire cum hostia coniungitur a Nonio, sicut a Verrio in glossa apud Paul 76. *hostia*. 7) Non. 6. *exercitum* dicitur fatigatum dictum ab exercitio Sallustius(!) . . . Plantus Bachidibus: ‚quae sodalem

atque me exercitos habet'. Lucret .. Afran... Virgil.. Paul. 60. *exercitus* et militum copia dicitur et homo multis negotiis exercitus; sed superius quarti ordinis est, hoc secundi est. Cf. p. 61. exercitionem exerciti. — Admonendum est Sallustii exemplum immerito primum locum obtinere a Nonio postea additum (Schottmuell. 823.) Multa Nonii exempla docent, qua confidentia Verrii glossam Plauto vindices. 8) Non. 7. *frigere* est et *friguttire* et *fritinnire* sussilire cum sono vel erigi et excitari, quod quaecunque friguntur vel frigent nimio calore vel frigore, cum sono susum sussiliunt. Plautus Casina: ‚nam quid friguttis, quid istuc tam cupide cupis?‘ Varro (fritinientis)... Paul. 68. *fringilla* avis dicta est, quod frigore cantet et vigeat; unde et friguttire. — Cf. Varro. d. l. 1. 7. 104., ubi friguttire a fringilla ducitur. Nonius et Verrius diverso sub lemmate de frigutiendo dicunt, quod vocabulum cum apud Plautum in sola Casina reperiatur et in Nonii glossa plus valeat quam frigere, quod Nonius propter glossam p. 308. *frigit* hic iterat, Verrius quoque ex Plauto petivisse potest. Sed Plauti commentarium Nonius non legit, quoniam explanationis verba ‚erigi et excitari‘ Varronis versus citati verba sunt. 9) Non. 8. *caperrare* est rugis frontem contrahere et asperare: tractum a caprorum frontibus crispis. Plautus Epidico: ‚quid illud est, quod illi caperrat frons severitudine‘. Varro (caperratam frontem). Paul 37. *caperatum* rugosum a cornuum caprinorum similitudine dicitur. — Lemmata quamquam diversa sunt, tamen expositionis similitudo non neganda est (cf. Varro. d. l. 1. 7. 107., qui ex Naevii glossario affert: ‚caperata fronte a caprae fronte‘). At Pauli glossa certe non Plautina est, cum caperare in solo Epidico occurrat, et forma ‚caperatum‘ hic non occurrat. 10) Non. 9. *examussim* dicitur examine ad regulam vel coagmentum: est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant, rubrica inlinunt. Plautus Amphitryone... Menaechmis... Varro (sat.).. Idem Quaestionum Plautinarum lib. II.: ‚amussis est aequamen levamentum, id est apud fabros tabula quaedam,

qua utuntur ad saxa coagmentanda' . . . Paul. 60. *examussim* regulariter: amussis enim regula fabrorum est: vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur. — Qua cum glossa cohaeret (cf. Reitzenst. 33. adn.) Paul. 6. *amussim* regulariter tractum a regula, ad quam aliquid exaequatur, quae amussis dicitur muttire . . — De Nonii glossa monuit Schottmuellerus 824. primum exemplum esse versum Militis, non Amphitruonis, qui ex Sisennae commentario Plautino additus sit (cf. Charis. 198. 24. K. Schmidt. p. 40.). Fortasse etiam verba ‚quam architecti . . . rubrica inlinunt’ Nonius similiter finxit atque Sisenna, nam de ‚rubricata tabula’ Charisius quoque verba facit. His autem quae praecedunt verba ‚est enim amussis regula fabrorum’ Verrius et Nonius ex eodem fonte hauserunt. Sed Varronis quaestiones Plautinas Nonius certe non legit, quoniam hoc uno loco in Compendiosa doctrina commemorantur, et Nonii qui modum et rationem scribendi novit, haec aliunde exscripta esse sentit. Ex quo versu Verrius *examussim* duxerit nescimus, cum apud Plautum saepius occurrat. Cf. Gell. 1. 4

Posterior Nonii libri I. ordo Plautinus Schmidti 44. opinione a Verrio alienus est, cum non plus unum lemma (*cerriti*) cum illius titulis congruat. Mihi ex 13. huius ordinis titulis videntur quinque Verrianis quibusdam in explicatione vel in etymologia similes esse, ex qua quidem similitudine de commentariis Plautinis nil efficitur. 11) Non. 43. *vernas* veteres appellabant qui vere sacro fuerant nati; et habebatur nomen hoc pro vili vel maledicto. Plautus Amphitryone: ‚hic, qui verna natus est, queritur’. Lucilius Fest. XVI. 23. 1. *vernae* qui in villis vere nati, quod tempus duce natura feturae est: et tunc rem divinam instituerit Marti Numa Pompilius Cf. Paul. 161. ver sacrum. — Quod eandem etymologiam docent Festus et Nonius non casui tribuendum est, quamquam concedo Festi glossam a Plauto alienam esse. 12) Non. 43. *concinare* est facere, ut Plautus Amphitryone: ‚lacrimantem ex habitu concinuas tu tuam uxorem’. Sed proprietates verbi haec

est, quod apud veteres cinnus potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet. Recte autem concinnare et consentire intellegi potest quasi concinere, ut multis diverse canentibus unus efficitur modus. Plautus Asinaria: ‚aueps quando concinnavit aream, offundit cibum’. M. Tullius (concinere). Paul. 30. *concinnare* est apte componere. concinere enim convenire est. — Cum ambo — nescio qui factum sit — de concinnando et concinendo verba faciant, tamen haec differentia inter has glossas intercedit, quod Nonius duas lemmatis significationes ostendit, quarum altera cum Paulo congruat. Sed cum in utramque sententiam saepius hoc vocabulum apud Plautum legatur, non discernas de Verriana glossa. Praeterea Nonium cinnum commemorare declaratur glossa Non. 59. *cinnus* est commixtio plurimorum; unde et concinnare dicitur. Cic. . . . 13) Non. 44. *blatis* et *blateras* confingis aut incondite et inaniter loqueris . . . aut a balatu. Plautus in Amphitryone: ‚qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita naugas blatis?’ idem in Aulularia: ‚ubi tu es, quae deblaterasti iam vicinis omnibus?’ Paul. 28. *blaterare* est stulte et praecipide loqui, quod a Graeco *βλάξ* originem ducit. Sed et camelos, quum voces edunt, blaterare dicimus. — Nonius duo vocabula explicat, quorum alterum apud Paulum lemmatis loco positum ne Plautinum quidem est. At balatus et cameli commemoratio eundem auctorem redolent. Cf. Non. 78. blaterare, 96. deblaterare, Paul. 55. deblaterare. Reitzenst. 33. adn. 14) Non. 44. *perconctari* diligenter inquirere. Plautus Amph. . . . Et est proprietas verbi ab eo tracta, quod vada in fluminibus contis exquirunt. Fest. X. 32. 8. *perconctatio* pro interrogatione dicta videtur ex nautico usu, quia conto pertentant cognoscuntque navigantes aquae altitudinem . . . — Perconctatio non est vox Plautina, etymon eiusdem originis. 15) Non. 44. *cerriti* et *larvati* male sani et aut Cereris ira [v. s. *dira*] aut larvarum incursatione animo vexati. Plautus Amphit.: ‚larvatu’s edepol hominem miserum! medicum quaeritat’. idem qui supra: ‚quaese adveniēti morbo medicari Jovem. tu certe aut larvatus aut

cerritus es'. Paul. 42. *cerritus* furiosus. 88. *larvati* furiosi et mente moti quasi larvis exterriti. — Cerritus praeterea legitur Rud. 4. 3. 67., larvatus Men 5. 4. 1. et in fragm. ap. Servium ad Aen. 6. 229.

Venimus ad glossas nonnullas in Nonii opere dispersas, quae cum Verrii prioris partis glossis similitudinem quandam ostendunt. 16) Non. 123. *icit* significat percutit, ab ictu. Plautus Truculento: ‚frendit, icit femur.‘ idem Vidularia: ‚ibi ut piscabar, fuscina ici vidulum‘. Pacuvius . . . Afranius . . . Caecil. Lucret. Turpil. Naevius. Paul. 78. *icit* percutit. — Apud Nonium praecedunt glossae Plautinae cum versibus Aul. Trin. Epid. Pauli glossa si Plautina est, spectat potius ad Truc. 2. 7. 42. quam ad Pers. 5. 2. 65. ‚colapho me icit‘, quibus in locis forma tertiae personae sg. ‚icit‘ occurrit. Sed vide multitudinem scriptorum a Nonio laudatorum. 17) Non. 128. *igitur* positum pro postea. Plautus Amphitryone . . . Paul. 78. *igitur* nunc quidem pro completionis significatione valet, quae est ergo. Sed apud antiquos ponebatur pro inde et postea et tum. — Nonii glossam insequuntur quattuor, quae ex Amph. Asin. Aul. exemplis utuntur. Praeter Amph. versum 1. 1. 54. particulae igitur notio, de qua agitur, inest in versibus Most. 2. 1. 33., Rud. 4. 2. 25., Mil. 3. 1. 177., Cas. 2. 2. 39. al. 18) Non. 533. *corbita* est genus navigii tardum et graude. Plautus in Poenulo: ‚tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari‘. Lucil. . . Paul. 30 *corbitae* dicuntur naves onerariae, quod in malo earum summo pro signo corbes solerent suspendi. — Nonius initio capitis de genere navigiorum quattuor navigia Plautina, in his nostrum, enumerat usus exemplis primariis Asinariae Poenuli Rudentis Stichi. Explicatio autem eius in nostra glossa propter ‚tardum‘ fortasse verbis versus excitati accommodata cum Verrio nil habet commune. Attamen Pauli glossam ad locos a Nonio laudatos referam. Apud Plautum praeterea legitur Cas. 4. 1. 20. ‚corbita cibi‘. 19) Non. 540. *patagium* aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet. Plautus Epidico: ‚indusiatam patagiata‘. Naevius

(patagium) . . . Paul. 120. *patagium* est, quod ad summam tunicam assui solet, quae et patagiata dicitur, et patagiarii, qui eiusmodi faciunt. — Glossa Noniana est in ordine vocabulorum ex Plauti Epidico 2. 2. 46—49. vestimenta significantium. Cum ‚patagiata’ in solo versu Epid. 2. 2. 47., ‚patagiarii’ in solo versu Aul. 3. 5. 35. legatur, hoc tantum nescimus, quomodo factum sit, ut Verrius a patagio proficiscatur. 20) Non. 543. *aula* vel olla, quam nos ollam dicimus. et est capacissimum vas. Plautus in Amph. . . Varro . . Paul. 20. *aulas* antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas, quia nullam litteram geminabant. Itaque aulicocia exta, quae in ollis coquebantur, dicebant, id est elixa. — Haec glossa initio libri XV. Noniani posita est, post eam tres exempla ex Amph. et Aul. continentes. Cognatae autem sunt glossae grammatica de antiqua vocabuli forma quaestione. Apud Plautum aula saepius extat, ‚aulicocia exta’ ex Paulo solo nota sunt.

Quoniam glossas percensuimus, quibus Verrianae sine verbis respondent, non necessarium erit repetere vix unquam inveniri causam quae nos cogat similitudines Verrii et Nonii ita declarare ut statuamus eos iisdem commentariis Plautinis usos esse. Hoc tantum moneam saepius glossas in sola explicatione vel etymologia coire, ut mihi non dubium sit, quin ex etymologicis grammaticorum horreis Nonius multa receperit, quod optime intelligitur glossis: capulum, hostimentum, caperare, examussim, vernas, concinnare, blatis, percontari, quae omnes extant in Nonii libro I. de proprietate sermonum. Confirmatur haec sententia eis glossis, quae similis explicationis participes sunt, attamen certe non ad eundem versum, non ad eundem poetam spectant.

IV. Itaque transeamus ad tres glossas de etymo, de dubio genere, de differentia agentes, quae apud Nonium et Festum diversa habent Plauti exempla. 1) Non. 27.

putus est dictus a putando. Plautus Pseudulo: ‚purus putus est ipsus’. Varro . . . nam et rationes ea causa putari dicti sunt, quotiens ex his fraudis aut falsi aut mendacii aut iniqui aliquid separatur. Et ipsum namque dubitantes cum dicimus: puto, significamus nos in rebus incertis et obscuris falsis opinionibus fieri ambiguos. Fest. XI. 2. 16. *putum* pro puro dixisse antiquos, et inde putatas vites et arbores, quibus dicisum est id, quod impedimento erat, Cornifici. ait. neque aliter accepit Ennius . . . et Plautus: ‚purus putus hic sycophanta est’. Aurum quoque putatum dici solet i. e. expurgatum, et ratio putata i. e. pura facta. — Verrius cum provocet ad Cornificium, qui similiter cum Ennio et Plauto in glossa Fest. IX. 16. 26. *nare* coniungitur (cf. Leidol. 208. adn.), discimus etymon ab hoc grammatico propositum esse. Nonius autem sine dubio Cornificium ipsum, grammaticum antiquissimae aetatis, non novit. Cum Festi glossa arte cohaerent Paul. 21. amputata. 80. imputatum (Reitzenst. 33.) Cf. Non. 157. putamina. Varro. d. l. 1. 5. 7. Gell. 6. 5. 2) Non. 199. *corium* neutri est generis. corium masculini Plautus Poenulo: ‚tris facile corios contrivisti bubulos’. Varro . . . Paul. 46. *corius* apud antiquos masculino genere dicebatur. Plautus: ‚iam tibi tuis meritis crassus corius redditus est’ . . . — Pauli glossa invenitur in primo ordine alterius litterae C partis et ex incerta fabula petita est. (Reitzenst. 59. 63.) Ambae glossae de indiscreto genere agunt v. s. cap. I. (clunes). 3) Non. 446. *inlix* et *inlex* hoc discernuntur: ab inliciendo inlix; inlex a quo lex non servetur. Plautus Poenulo: ‚quia illi tantae rei fuimus inlices’. idem Persa: ‚iniure inlex labes popli’ . . . Paul. 84. *inlex* producta sequenti syllaba significat, qui legi non paret; *inlex* correpta sequenti syllaba significat inductor, ab inliciendo. Plautus: ‚esca est meretrix, pectus illex’. Cf. Non. 10. inlex. — Glossae Verrianae in altera parte positae praecedunt alia vocabula ab illiciendo deducta, et alterius partis glossa p. 23. *allicit* ipsa quoque Plautina est (Reitzenst. 64.). Nonii lemma est ex libro *de differentiis verborum*. v. s. cap. I.

V. His adiungo quinque glossas, in quibus Nonius exemplum Plautinum, Verrius alios auctores affert.

1) Non. 10. *bardum* est vi propria et ingenio tardum. nam Graeci bardos tardos dicebant. Homerus... Plautus Persa.... Paul. 28. *bardus* stultus a tarditate ingenii appellatur. Caecilius... Trahitur autem a Graeco, quod illi *βαρδός* dicunt. — Nonii glossa in primo ordine Plautino legitur. Primarium exemplum est Persae versus. Sub quattuor enim titulis excipiunt se quattuor huius comoediae versus (*focula* Persa 1. 3. 24., *bardum* 2. 1. 2., *ilex* 3. 3. 4., *lurcones* 3. 3. 16.) Cf. Schottmuell. p. 823. Etymologia a Graecis petita Homerici exempli fuit causa et prorsus cum Verrio facit. 2) Non. 35. *angina* genus morbi, eo quod angat et graece synanche appellatur. Lucilius... (Est ordo Lucil.) Paul. 8. *angor* est animi vel corporis cruciatus, proprie a Graeco *ἀγγώνη* i. e. strangulatione dictus; unde et faucium dolor angina vocatur. Plautus... Cf. Paul. 23. anginam vinariam. Reitzenst. 65. adn. 3) Non. 456. *stuprum* hoc solum dici putant, quod cum viduis committitur. veteres pro adulterio et vitio ponunt. Plautus Amphitryone... Fest. XIV. 21. 21. *stuprum* pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine... et in Appii sententiis... Naevius. — Nonii glossam, quae in libro *de impropriis* locum habet (v. s. cap. I.), sequuntur aliae Plautinae cum exemplis ex Amph. et Epid. 4) Non. 483. *mansuetem* et *mansuem* pro mansuetum, ut sit nominativus mansues. Plautus Asinaria... Accius... Varro... Fest. IX. 3. 11. *mansues* pro mansuetu dixit Cato... — Nonii glossa ex libro *de mutata declinatione* Plautina est, Verrii Catoniana ex altera parte. 5) Non. 540. *supparum* est linteum femorale usque ad talos pendens, dictum quod suptus appareat. Plautus in Epidico... Novius... Afranius Epistula: ‚st! tace! puella non sum, supparo si induta sum?‘ Varro... Fest. XIV. 15. 10. *supparus* dicebatur puellare vestimentum lineum, quod et subucula appellabatur. Titinius... Naevius... at nunc supparos appellamus vela lina crucem expansa, supparus autem videtur puellare vesti-

mentum, quod Afranius ait: ‚puella non sum, supparo si induta sum’. Cf. Fest. XV. 15. 17. siparium. Afranii exemplum ambobus commune utrum casui tribuendum sit necne nescio.

VI. Denique quinque glossas in medium profero, quarum exempla Plautina apud Nonium subseciva sunt. 1) Non. 13. *crepera* res proprie dicitur dubia, unde et crepusculum dicitur lux dubia et senes decrepiti dicti in dubio vitae constituti. Creperum bellum anceps et dubium. Lucret... Accius... Lucil... Pacuv... Plautus in *Asinaria*: ‚qui quidem cum filio potest una atque una amicam ductet decrepiti senex’. Varro... Paul. 54. *decrepiti* est desperatus crepera iam vita, ut crepusculum extremum diei tempus. Sive decrepiti dictus, quia propter senectutem nec movere se nec ullum facere potest crepiti. — Nonii lemma legitur in ordine Lucretiano. Postea igitur Nonius quae in Plauto invenit addidisse videtur. Legitur decrepiti praeterea Merc. 2. 2. 20. et 43. Valde autem dolendum est, quod nescimus, cui scriptori et fonti tribuenda sit glossa Verriana. De crepusculo et crepera re egit Varro d. l. l. 6. 5. et 7 77., sed decrepiti senes non commemorantur, quamquam Varro d. l. l. 7. 77. exempla Plautina affert. Cf. Paul. 40. creperum. Loewe. Prod. 405. s. 2) Non. 22. *gliscit* est concalescit et colligitur vel crescit vel ignescit. Turpil... Accius... Pacuv... Sallust... Virg... M. Tull... Plautus *Asinaria*... Paul. 73 *gliscere* crescere est, gliscerae menses mensae gliscentes id est crescentes per instructionem epularum scilicet. Fest. XIII. 15. 30. *reglescit* cum dixit Plautus significat crescit... glires. (Cf. Non. 119. glis.) — Nonii glossa interrumpit ordinem Lucilii. Nonius complures vocabuli significationes exemplis comprobat, Paulus ex his unam tractat. Gliscere apud Plautum in *Asin.* 5. 2. 62. et *Capt.* 3. 4. 26. legitur, gliscerae mensae et reglescit ex Festo tantum novimus. 3) Non. 38. *capital* dictum est capitis periculum. Plautus *Menaechmis*: ‚nunquam hercle effugiet, tametsi capital fecerit’ Lucilius... Paul. 37. *capital* facinus, quod capitis

poena luitur. — Nonii glossa, quae in ordine Lucilii extat, altero loco ostendit exemplum primum. 4) Non. 186. *vinnulum* . . . ‚vinnulum sensi locum’ id est illecebrum. Plautus Asinaria: ‚compellando blanditer, osculando oratione vinnula, venustula’. Paul. 161. *vinnulus* dicitur molliter se gerens et minime quid viriliter faciens. — Plauti versus apud Nonium subsecivus est, cum primo loco nomen comici exciderit. (L. Mueller.) 5) Non. 447. *fremere* et *frendere* hoc disparantur, quod est fremere magnum sonare. Virg. . . frendere alicubi cum gemitu vel iracundia miserum aut minax sonare, alicubi frangere Virg. . . Pacuv. . . Plantus: ‚nec machaera dentes audes frendere?’ Pacuv. . . Accius . . Paul. 68. *frendere* est frangere; unde et faba fresa, unde et dentibus dicimus frendere. — Apud Nonium L. Muellerus ‚alicubi frangere’ addidit bene, quia in ultimis exemplis hanc vim habet.

Quoniam vidimus inter Nonii et Verrii glossas Plautinas re vera magnas intercedere similitudines, attamen commentariorum Plautinorum doctrinam illam abiciendam et repudiandam esse, si quidem recte animo nobis informare velimus, quomodo hae similitudines natae sint: iam ut cognoscatur, quomodo Nonius scriptorem ipsum legerit, idem nonnunquam grammaticum auxilio vocaverit, de M. Terentio Varrone disseram, quem saepissime exempli gratia velut Plautum excitat, saepius etymologiae auctorem velut grammaticorum studia Plautina sequitur.

CAPUT III.

DE M. TERENTIO VARRONE.

Inter Nonium et Verrium grave hoc intercedit discrimen: Nonius auctores quos compilaverit dissimulat (cf L. Mueller. Non. II. 258.), Verrius aperte ad auctores suos provocat, ut

maxime dolendum sit ad nos operis excerpta tantum praecipue Pauli venisse. Et Varro quidem a Paulo laudatur in glossis p. 37. *cuppes* et p. 62. *erebum*, apud Festum his locis: X. 4. 21. opima spolia, XII. 4. 13. Romam, XIII. 7. 1. Romuliam tribum, XIII. 7. 21. ruminalem ficum, XIV. 16. 18. sus Minervam, XIV. 30. 8. saperda, XV. 18. 32. Sabini, XV. 26. 15. Tauri ludi, XV. 26. 27. Talassionem, XV. 30. Tuscum vicum, XVI. 24. 22. vapula Papiria, XI. 2. 7. puteum. Libros autem Varronis, e quibus affert locos, nominat hos: libros de vita populi Romani ap. Fest. XIII. 21. 34. religionis, libros Antiquitatum Fest. XIII. 11. 2. raudusculana, IX. 8. 22. murrata, quaest. Epist. Fest. VIII. 24. 21. multam, XV. 13. 1. sinistrae, libros Rerum humanarum Fest. XII. 16. 30. pro censu, XII. 17. 8. praerogativae, XV. 22. 28. suffragatores, XV. 24. 24. Septimontio. Praeterea dubitari non potest, quin libris de lingua latina frequenter usus sit Verrius. Denique lemmata tribum fortasse etiam praenomen significantia e Varrone petita sunt (Reitzenst. 22. s. 24.). Sed in una tantum glossa Fest. XIV. 39. 8. *saperda* ex Varronis satira quadam exemplum dictionis Varronianae occurrit, et hoc apud Nonium quoque sub eodem lemmate p. 176. *saperdae*. Nonius vero Varronis satiras et libros maxime exempli loco affert, ad sententiam autem eius indagandam nullos libros legit mea sententia, nisi qui sunt de re rustica et de vita populi Romani.

Quod ut efficiam et Nonii rationem in auctoribus laudandis illustrem, proficiscor a glossis nonnullis, quas Hertzius ex Gellio sumptas esse luculentissime probavit, quamquam Gellius nomine nusquam appellatur. Ex Nonii libri I. ordine Gelliano (Hertz. opusc. Gell. 96. s.) quattuor sunt glossae, in quibus Varro in eundem modum laudatur sicut Nigidius Figulus p. 35. fratrum, 441. mentiri, 51. infesti, 53. bidentes, 378. religio, Antistius Labeo 52. sororis, Ateius Capito 54. siticines, quorum locos Nonius sine dubio nunquam inspexit, sed soli Gellio debet. 1) Non. 50. *fures* significationem habere a furvo,

quod Romani veteres furvum atrum appellaverint et quod per obscuras atque atras noctes opportuna sit eius mali effectio, eos dictos fures Varro putat rerum divinarum lib. XIV.: ‚furem ex eo dictum, quod furvum atrum appellaverint et fures per obscuras noctes atque atras facilius furentur.‘ Homerus . . . — Nonium hic Varronis librum non evolvisse apparet ex eo, quod Varronis ipsius esse verba opinatur, quae Gellius 1. 18. 4. oratione indirecta de Varrone facit (Hertz. 98.). Praeterea hac in glossa sola Nonius ex Rerum divinarum libro quodam Varronis sententiam exscripsisset, cum in reliquis glossis ex hoc Varronis libro minime petat sententiam sed exempla vocabuli vel formae vel dictionis lemmatis loco positae. v. i. 2) Non. 52. *humanitatem* non solum, uti nunc consuetudine persuasum est, de benivolentia dexteritateque et comitate veteres dicendam putaverunt . . . sed honestorum studiorum et artium adpetitum . . . Varro Rerum humanarum primo: ‚Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini est paululum modo humaniori ignotus‘. Cf. Hertz. 96. Gell. 13. 17. 3) Non. 53. *faenus* ab eo dictum est, quod pecuniam pariat increscentem tempore, quasi fetus aut fetura. nam et graece τόκος dicitur ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quod est parere. Varro libro III. de sermone latino: ‚faenus autem dictum a fetu et quasi fetura quadam pecuniae‘ . . . — Multum disputarunt viri docti de huius glossae fontibus, quam recte Hertzius 100. Gellio vindicavit. Quaeritur autem maxime, utrum praeter Gellium Varronis librum laudatum Nonius ipse inspexerit, quod ego quidem negaverim. Comparanti enim Gellii verba 16. 12. 7.: ‚faenerator enim, sicuti M. Varro in libro III. de sermone latino scripsit, a faenore est nominativus; faenus autem dictum ait a fetu et quasi a fetura quadam pecuniae parientis atque increscentis‘ hoc manifestum fit Nonium in idem vitium incidisse atque in glossa p. 50. *fures*, cum Gellii verba *faenus autem dictum* Varronis esse existimet. Etymologia autem a Graecis petita alii fonti debetur mea sententia, quem Nonius adhibuit p. 439. *mutuum* et Paul. 64. *fenus*. Sed hoc Hertzius p. 100. non concedo Nonium

fortasse in glossa quoque 439. *mutuum* Varronis librum III. de sermone latino adhibuisse, qui dictionis exempli gratia in glossa sola 318. *habitare* commemoratur. v. i. 4) Non. 55. *arcera* plaustrum est rusticum tectum undique, quasi arca. hoc vocabulum et apud Varronem et apud M. Tullium invenitur. hoc autem vehiculi genere senes et aegroti vectari solent. Varro Gerontodidascolo . . . Cf. Hertz. 97. 5) Non. 100. *duovicesimo* ita ut duodecimo. Varro Humanarum rerum lib. XVI. . . . Cf. Hertz. 102. 6) Non. 112. *flavissas* eas dici Varro aestimat, quos Graeci thesauros vocant, in epistula, quam ad Servium Sulpicium dedit: , . . quos thesauros graeco nomine appellaremus, priscos Latine flavissas dixisse . . .’ — Cf. Vahlen. *annal. gymn. austr.* 1861. p. 5. Hertz. 103. Ex Epistulis Varronis reliquis in glossis Nonianis exempla tantum dictionis afferuntur, cum nulla inter Nonii expositionem et Varronis locum laudatum intercedat ratio. v. i. 7) Non. 145. *nidulantur* Varro Hebdomadon primo: . . . Cf. Hertz. 103. 8) Non. 435. *quartum* et *quarto* prudentes differre dixerunt. Varro Disciplinarum quinto: ,aliud est quarto praetorem fieri aliud quartum . . .’ Cf. Hertz. 141. — Quibus octo in glossis ex Gellio sine dubio haustis Varro ita laudatur, quasi Nonius eum ipsum legisset. Paene dixerit quis Nonium nunquam Varronem inspexisse, quod quominus credatur valde impedit multitudo Varronis exemplorum.

Si Nonium cum Verrio, quod ad Varronem attinet, comparabimus, omittendae sunt eae glossae, in quibus Varro apud Nonium dictionis tantum exempli gratia commemoratur. Nihil igitur dico:

1) de satiris Varronis. 2) de libro rerum divinarum, qui praeter Gellianam glossam p. 50. fures v. s. occurrit in glossis: 197. caelum, 510. communitus, 115. grandire, 156. pueritia, 197. castitas, 334. liquidum, 222. specus, 473. labascor, 194. balteus, 220. prosecta, 479. sacrificantur, 318. habitare. 3) de libro rerum humanarum in glossis 417. urgere, 75. aeternare, 90. congermanescere, 479. fatiscentur, 100. duodevicesimo, 80. balbe, 92. cis, 92. quadrifariam, 142.

modiperatores, 161. patritum, 214. nundinae, 222. reditus, 345. meret, 394. spurcum, 425. anticus, 471. sortirent, 216. oves. — de glossis autem 58. *accensi* et 519. *consere*, in quibus sicut in Gelliana glossa 52. *humanitatem* Varronis ipsius sententia in Nonium transfertur, similiter atque de Gellianis sentio. — 4) de epistulis, quae excepta glossa Gelliana 112. *flavissas* occurrunt: 56. petauristae, 423. horrendum, 263. curriculum, 493. inverbi, 117. gargaridiare, 144. noenum, 425. fors, 141. minutum, 419. vindicare, 121. hilaresco, 473. imitat, 545. obba, 26. vari, 167. reda. 5) de libro de lingua latina: 127. indiscriminatum. — hanc autem et tres reliquas glossas 64. *prolubium*, 376. *protinus*, 122. *hinnos* suspicor fonti deberi, in quo hoc Varronis opus laudatum fuerit. — 6) de sermone latino III. praeter Gellianam 54. *faenus* in glossa 318. habitare. 7) de libro Disciplinarum praeter Gellianam glossam 435. *quartum et quarto* in glossa 557. *postulaca* et in altera item indicanda atque Gelliana illa 135. *lusciosi*. 8) de libro Quaestionum Plautinarum ex Plauti commentario fortasse ascito in glossa 9. examussim. (v. s. cap. I.) 9) de libris de compositione Satyrarum in glossa 67. parectatoe, de proprietate scriptorum 334. liquidum, de scenicis originibus 196. compita. 10) de permultis glossis librorum de re rustica et de vita p. R. scil. exceptis iis, quas infra enumerabo et tractabo. — Sescentis his exemplis apparet Nonium Varronem ipsum legisse et eorum tantum librorum locos laudatos aliunde traxisse, quorum vel rarissima inveniuntur exempla (d. l. l., d. serm. lat., Discip., Quaest. Plant., d. comp. sat., d. propriet. script., d. scenic. orig.) vel hoc et illud exemplum a ceteris eiusdem libri diversum, quod non dictionem Varronianam sed eius sententiam comprobet (Rer. divin., Rer. hum., epist.).

Jam pauca restant exempla libri de re rustica, in quibus Varronis expositionem et sententiam Nonius sibi sumpsit. Attamen, cum haec plurima in uno ordine legantur, alia ratio videtur esse atque glossarum Gellianarum. Qua in

re hoc maxime notandum est, quod in ipso ordine Gelliano quae glossae praebent locos libri de re rustica (p. 52. ador, 53. iugeri. Hertz. 96.), hae non conspirant cum Gellio, sed ad fallendum lectorem a Nonio sunt interpositae. Item libri de vita pop. Rom. in Gellianis glossis non commemorantur. Restant autem ad Varronis librum I. de re rustica spectantes hae glossae: 53. iugeri (in ordine Gelliano), 61. heredioli, legumina, porcae, occationis, pomorum (ex ordine Varronis de re rustica), 118. glumam. Quibus in glossis Nonius aut supersedet ipse lemma explicare et Varronis sola verba affert aut suam explanationem accommodat Varronis. Prioris rationis exempla sunt 53. *iugeri* proprietatem Varro designat d. r. r. I. . . . (Gell.), 61. *heredioli* proprietatem indicat V. d. r. r. I. . . ., 61. *porcae* agri quam dicimus significantiam V. designat d. r. r. I. . . ., 61. *occationis* proprietatem his indiciis aperitur V. d. r. r. I., 61. *pomorum* a V. proprietatem explanata est d. r. r. I. . . . Cf. ex libro I. glossas: Non. 24. fidei (M. Tullius.), 25. seditionis (M. Tull.), 32. monumenti (M. Tull.), 42. convivii (M. Tull.), 46. febris (Varro. sat.), 55. tropaei (Varro. sat.), 60. inepti (Cic.) Altera ratio cognoscitur in glossis 61. *legumina* V. d. r. r. lib. I. dicta existimat quod non secantur sed quod legantur: , . . . non subsecantur; quae quod ita leguntur legumina dicta', 118. *glumam* V. folliculum grani frumentari dici putat d. r. r. I.: , . . . gluma, qui est folliculus eius Cf. Non. 3. phrygiones (Virgil.), 7. sartores (Plautus), 14. avernus (Lucret.), 30. modestiam (M. Tull.), 41. prudentiam (M. Tull.), 42. occationem (M. Tull.), 42. pecuniosorum (M. Tull.), 44. pandere (Var. d. v. p. R.), 50. fures (Var. Gell.), 57. curiam (Var. d. v. p. R.), 57. legionum (Var. d. v. p. R.), 59. nefarii (Var. d. v. p. R.), 65. aequor (Cic.), 67. optiones (Var. d. v. p. R.). Denique videmus Nonium verba scriptoris laudati usurpare, cum nominatim ad eum non provocet: 20. stricturae (Lucil.), 22. capronae (Lucil.), 22. cerebrosi (Lucil.), 23. petulantia (M. Tull.), 23. procacitas (M. Tull.), 24. ignominia (M. Tull.), 33. pedetemptim (Cic.), 37. aqua intercus (Lucil.), 38. versipelles

(Lucil.), 43. paupertas (Var. d. v. p. R.), 53. faenus (Var. Gell.), 60. merities (Cic.), 66. excordes (Cic.). — Glossis ex libro I. de re rustica petitis similes sunt nonnullae Verrianae: 1) Non. 61. *heredioli* proprietatem indicat V. d. r. r. l. I.: ,bina iugera, quod a Romulo primum divisa viritim, quae quod heredem sequerentur *herediolum* appellarunt'. Paul. 74. *heres* apud antiquos pro domino ponebatur., 74. *heredium* praedium parvolum. — Pauli ambae glossae deinceps positae, quo ordine vocabula in loco a Nonio citato (d. r. r. l. 10.) occurrunt, eiusdem fontis esse videntur. Nonii autem lemma *heredioli* in Varronis loco allato non legitur. 2) Non. 61. *porcae* agri quam dicimus significantiam Varro designat d. r. r. l. I.: ,qua . . . sulcus vocatur. quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit.' Accius Parergorum lib. I. . . Porcae sunt signa sulcorum, quae ultra se iaci semina prohibeant; porcere enim prohibere saepius legimus. Fest. XII. 8. 7. *porcas*, quae inter duos sulcos fiunt, ait Varro dici, quod porrigant frumentum (Muell. ,porriciant' Paul. ,porrigant'). Paul. 80. *Imporcitor* qui porcas in agro facit arando. Porca autem est inter duos sulcos terra eminens. — Nonianae glossae altera pars, quae incipit ab Accio, alii fonti debetur (L. Muellerus ultima verba ab interpolatore addita esse censet. Sed cf. 159. porcet, Paul. 14. arcere, Fest. XI. 4. 16. porcae.), pars prior fluxit ex de re rustica 1. 29. Verrianas glossas *porcas* et *Imporcitor* Reitzensteinus 33. adn. ad eandem originem, h. e. ad Varronis locum quendam, quo de deo Imporcitore agebatur, revocare studet, cum Verrium librum de re rustica inspexisse non sit verisimile. At mirum videtur ipsum Varronem Imporcitorem a porca petentem addidisse, quid tandem sit porca. Mea igitur sententia Verrius, non Varro, in glossa *Imporcitor* de porca addidit, quod alio loco Varronis a se in glossa *porcas* adhibito invenerat. Quamquam hoc in universum concedo Verrium libro de re rustica Varronis non fuisse usum, tamen vir doctissimus, fortasse cum de Imporcitoris etymologia cogitaret, evolvere

potuit Varronis librum de re rustica. Ab his denique alienum porcae etymon invenitur apud Varronem d. l. l. 5. 39. 3) Non. 61. *occationis* proprietas his indiciis aperitur. Varro d. r. r. l. I.: ‚et postea occare, id est comminuere, ne sit gleba: quod ita occidunt, occare dictum’. Serenus . . . — Idem aliter in Ciceronis ordine p. 42. *occationem* ob occaecatis seminibus, qua id efficitur, dici M. Tullius voluit de senectute: ‚sparsum semen exceptit, primum id occaecatum cohibet: ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est’. Fest. IX. 29, 24. *occare et occatorem* Verrius putat dictum ab occaedendo, quod caedat grandis globos terrae: cum Cicero venustissime dicat ab occaecando fruges satas. — Nonius igitur in ordine Varronis affert huius sententiam, in ordine autem Ciceronis Ciceronem. Verrius etymon, quod Varro proposuit, probavit, Festus Ciceronis. Festi autem glossam Reitzensteinius 13. adn. ad Planti Capt. 662.s. bene rettulit, ubi occare et occatorem coniunguntur. 4) Non. 118. *glumam* Varro folliculum grani frumentarii dici putat d. r. r. l. I.: ‚granum dictum, quod est intimum soldum; gluma, qui est folliculus eius; arista . . . Paul. 73. *gluma* hordei tunicula, dictum quod glubatur id granum. Unde et pecus *glubi* dicitur, cuius pellis detrahitur. — Quattuor fere versibus post pergīt Varro I. 48.: ‚videtur vocabulum (gluma) etymon habere a glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum’, quod etymon Paulus probat. — Num igitur re vera Verrius Varronis librum de re rustica adhiberit, quod ego non negem, difficile est ad diiudicatum, praesertim cum Varro in variis librorum suorum locis de eodem vocabulo etymon vel etyma protulerit non solum in grammaticis libris hac disciplina usus.

Transeo ad libros de vita populi Romani, ut primum enumerem glossas Nonii ex hoc fonte haustas exceptis iis, de quibus supra dixi, deinde quae apud Verrium respondent, cum his conferam. Lib. I.: Non. 11. tororum, 23. kalendarum, 43. paupertas, 44. pandere, 59. accensi, nefarii, 63. panis, 67. proletari, 114. februare, 424. osculum, 530. glabri, 531. nubentes,

540. toga. 542. ricinum, subucula, 544. cupas, urnula, 546. calpar, 547. trullum, armillum, sinum, lepistae, 548. caltulam, 551. murruna, lora, sapa, passum, moriolam. Lib. II.: 23. consulum, 56. petauristae?, 56. curiam, 519. censere, 523. sexagenarios, 528. pilumnus, caduceus, 529. faetiales, 532. aere diruti. Lib. III.: 57. legionum, 67. optiones, 520. decuriones, 529. faetiales, 535. codicarias?, 553. rorari. Lib. IV.: 66. praeficae, 145. nenia, 163. palangae, 525. supervacuum.

De vita populi Romani libro primo Verrius usus non est, quamquam cum glossis Nonii ad hunc librum pertinentibus congruunt haec lemmata: 1) Non. 23. *kalendarum*. Paul. 23. *procalare*. Verrius quoque kalendas a Graeco *καλεῖν* petit fortasse auctore Varrone, sed idem huc refert calumniam, calones, caculas, calatores. (Cf. 31. calatores. Reitzenst. 34.) 2) Non. 59. *accensi*. Paul. 16. *accensi* spectat ad librum III. de vita pop. Rom. 3) Non. 59. *nefarii*, qua cum glossa cohaeret, quae sequitur proxima *adoreum*. Cf. Paul. 3. *ador* et insequentem *adoriam laudem*. At Varro ador ducit ab ora, Paulus ab edendo vel adurendo. Denique Nonii glossa p. 52. *ador* in ordine Gellii spectat ad de re rustica 9. 4., ubi ‚far adoreum’ legitur. 4) Non. 62. *lixarum*. Paul. 86. *lixae*. 5) Non. 67. *proletari*. Paul. 124. *proletarium*. 6) Non. 114. *februare* Paul. 64. *Februarius*. Cf. de ling. lat. 6. 13., ubi Varro ad Antiquitatum libros provocat, et 6. 34. 7) Non. 551. *murruna*. Paul. 100. *murrina*. Fest. IX. 8. 22. *murrata*, ubi Varro Antiquitat. l. I. laudatur. 8) Non. 547. *lepistae*. Paul. 85. *lepista*. Cf. de ling. lat. 5. 123. 9) Non. 542. *subucula*. Fest. XIV. 13. 25. *subuculam*. 10) Non. 546. *calpar*. Paul. 35., 50. 11) Non. 547. *armillum*. Paul. 2. Non. 74. — Rursus igitur hoc discimus Varronem de eodem vocabulo facere verba in libris de vita p. R. vel de ling. lat. vel de re rust. vel Antiquitatum, qua de causa quaestionem de Varrone auctore Nonii et Verrii ad finem perducere non possum.

Etiam in altero libro de vita pop. Rom. res difficultates habet. Communiter enim Nonius et Festus narrant de 1) pe-

tauristis, 2) curia, 3) sexagenariis, 4) faetialibus, 5) aere dirutis: 1) Non. 56. *petauristae* et Fest. X. 24. 26. *petauristas* originem lemmatis ducunt a Graeco *πέτασθαι*, quod etymon Festi testimonio statuit Aelius Stilo. Quem num Varro sequatur nescimus; admodum pauca verba apud Nonium leguntur. 2) Non. 57. *curiam*. Paul. 37. *curia*. de ling. lat. 5. 155. 3) Non. 523. *sexagenarios* per pontem non mittendos . . . Varro . . . ,cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte, id est deici oportere, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. Fest. XV. 7. 16. *sexagenarios* de ponte olim deiciebant, cuius causam Manilius hanc refert . . . ; sed exploratissimum illud est causae . . . cuius sententiae est etiam Sinnius Capito . . . Cf. Paul. 56. depontani. ,Exploratissimum causae' quod Festus affert cum Varrone congruit et inde fortasse fluxit. Nam ad Sinnium, cui Reitzensteinius 23. Festi glossam tribuit, hic non primum auctorem provocat cum dicit ,etiam Sinnius'. Varro autem cum ipse de proverbii lemmatis natura dicat, fortasse cogitat de Sinnii libro de proverbii. 4) Non. 529. *faetiales*. Paul. 68. de ling. lat. 5. 86. 5) Non. 532. *aere diruti* appellabantur . . . Varro . . . stipendium appellabatur quod aes militi semestri aut annuum dabatur; cui datum non esset propter ignominiam, aere dirutus! Paul. 53. *dirutum aere* militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiae causa non erat datum, quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Cf. Fest. XIII. 21. resignatum aes.

E tertio libro de vita pop. Rom. manasse glossas Paul. 13. *adscripticii*, 16. *accensi*, 64. *ferentarii*, 134. *rorarios*, 158. *velati* concludit Reitzensteinius 30. ex affinitate Nonii glossarum 57. *legionum*, 520. *decuriones*, 553. *rorari*. Cf. de ling. lat. 7. 56. s. Animadvertenda praeterea sunt lemmata Non. 67. *optiones* Paul. 112. *optio*. Fest. X. 16. 11. (cf. Reitzenst. 75. adn.) et Non. 535. *codicarias*. Paul. 36. *caudicariae*.

Quartus denique de vita pop. Rom. liber est fons glossae Non. 145. *nenia*, quae in expositione respicit glossam 67. *praeficae*, ubi idem Varronis liber laudatur. Quibus cum glossis cognatae sunt Fest. IX. 10. 13. *naenia* et Paul. 122. *praeficae*. Cf. de ling. lat. 7. 70.

ERRATA.

P. 11. v. 21. pro: *enim* legas: enim
» 30. » 15. » *hostire* » *hostire*.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

- 1) Odysseae versum ν . 383. nisi cum Kirchhoffio ex prava imitatione versus ρ . 250. natum esse iudicas, propono lectionem: δ $\delta\eta\nu$ $\kappa\acute{\epsilon}$ $\tau\omicron\iota$ $\acute{\alpha}\xi\iota\omicron\nu$ $\acute{\alpha}\lambda\phi\omicron\iota$.
- 2) In Horatii carm. I. 9. 16. *puer* cum L. Muellero pro vocativo habendus est. Appellatur Thaliarchus servus. Cf. I. 37. 1. et 6.
- 3) Horatii carm. II. 20. versum 13. legendum esse censeo: ,iam Daedaleoque ocior Jcaro'.
- 4) In Horatii ep. libri I. ep. 7. v. 24. sana sententia efficitur scriptura: *merenti*. Cf. versum tit. Mum. C. J. L. I. 542.: ,proque hoc atque alieis doneis des digna merenti'.
- 5) In Lucretii libri III. v. 917. tradita lectio *torrat* retinenda est. Cf. Virgil. Aen. 2. 565.
- 6) Terenti Andriae v. 414. genuinus est. *Venientem* spectat ad Simonem, *ipsum* ad Pamphilum.
- 7) *Potest* pyrrhichii mensuram habet in versibus Terentianis iniuria temptatis Phorm. 337. Hec. 479. Adel. 264.
- 8) In Terenti And. versu 936. *postilla* servandum esse existimo (cf. Eun. 127. Heau. 447.), ut versus transpositis verbis *est veritus* sic procedat: ,tum illám relinquere híc veritus ést. postilla núnc primum aúdió.'
- 9) Terenti Phorm. v. 356. a Bentleio iniuria in suspicionem vocatus est. Cf. 387.
- 10) Phorm. v. 507. non spurius aestimandus est, cum Terentius vertat proverbium graecum a Donato allatum.

- 11) Post Terenti Adel. v. 600. lacuna non recte statuitur. Verba *et illam psaltriam* Micioni non obscura esse possunt, cum ipse antea de psaltria Hegioni exposuerit (cf. 599.), lector autem de ea iam comperit. (Cf. 263. 284. 355. 552.)

* * *

- 12) Lat. refert ex res-fert natum esse censeo. Nom. sing. meā apud Plautum longa utitur syllaba finali, cum rē-pro ablativo haberetur.


13) Lat. firmus et scr. dhruvās cognata sunt.


14) Particula ε² respondet lit. jei, α² autem osc. svai.


15) Suffixum -ter lat. adverbiorum et scr. -tra in á-tra tá-tra yá-tra anyá-tra idem est. Cf. lat. ager cum ἀγρός scr. ajrás got. akrs.

V I T A.


Natus sum Oscarus Froehde Liegniciensis anno huius saeculi LXVIII. patre Friderico matre Bertha e gente Claus. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum in schola privata imbutus in Regiam Equitum Academiam receptus et anno h. s. LXXXVI. testimonium maturitatis adeptus sum. Deinde in Universitate Litterarum Friderica Guilelma per octies sex menses linguisticis et philologicis studiis operam dedi audiens professores illustrissimos: A. Brueckner Curtius Diels Dilthey Ebbinghaus Huebner Kirchhoff Lazarus Oldenberg J. Schmidt Vahlen Weber Zeller. Exercitationibus benigne me admiserunt sanscritis et zendicis Weber, lituanicis et goticis J. Schmidt, palaeoslovenicis A. Brueckner. Quibus viris doctissimis optime de me meritis gratias ago verissimas. Candidissimas vero rectoribus seminarii regii philologici, cuius sodalis ordinarius per tria semestria esse mihi licuit, Kirchhoffio et Vahleno, quibus plurimum me debere sincere et libenter fateor. Omnes autem professores meos grata et pia memoria in sempiternum colam.


















































YB 00522

U. C. BERKELEY LIBRARIES



C045983907

165459 768 So
FOR

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

